This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NEDL TRANSFER
HN 65IP 8

Digitized by Google

KC 1735 2



Google

Digitized by Google

1307
80 c

Digitized by Google

STEPHANI GAVSSENI

Carmeli sti Amandi 1760

QVATVOR

inscriptus Catalogo

DISSERTATIONES THEOLOGICÆ.

I. *De ratione studij Theologici.*
II. *De natura Theologiæ.*
III. *De ratione Concionandi.*
IV. *De vtilitate Philosophiæ ad Theologiam.*

Simon

Quibus accessit breue scriptum
De recto vsu clauium erga ægrotantes.

Labbé de Melfort

1736 ~~mullot~~

SALMVRII,
Apud ISAACVM DESBORDES,
Typographum & Bibliopolam.

M. DC. LXX.

Digitized by Google

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY FEB 9 1957

Digitized by Google

DANIELI PAINIO THEOLOGO STEPHANVS GAVSSENVS. S. D.

OFFERO Tibi dissertationes, charissime in Christo Frater, quas anno proximè superiori in Tyronum gratiam elucubratas, in lucem emitto: quaris quo consilio? statim audies. Cùm ante quinque annos Senatûs Academici, ad quem ea cura attinet, autoritate designatus essem Theologiæ Professor; rei magnitudine & difficultate percussus, quod vel me tacente, tute ipse, cui

Digitized by Google

mei mores, iuxtà ac tui Tibi, noti sunt, facilè potes existimare; quidquid virium in me, quidquid erat industriæ, quod scio quàm sit exiguum, in id totum intenderi, quò me quam de me & de meis studijs spem Viri Sapientissimi concepisse videbantur, destituerem: atque ex eo tempore (testis mihi Deus est, cui seruio) nihil ardentioribus expetij votis, quàm vt quod ætati, eruditioni, atque adeò etiam naturæ deesse mihi planè conscius eram, id cum labore & diligentia, tum Collegarum quos habeo in omni literaturæ genere præstantes, consilijs admonitionibusque compensarem: Verùm enim cùm facilè intelligerem frustra agrum seri atque occari ab agricola, qui soli naturam perspectam non habeat, nihil antiquius habui quàm vt Studiosorum, qui se in nostram disciplinam tradebant, instituta, consilia & vniuersam studiorum rationem penitus cognoscerem: cœpi itaque diligentissimum quemque de ea quæ omnium tutissima & compendiosissima videretur, methodo percunctari; neque prius conquieui quàm singulorum sensus penitissimos perscrutarer: vt vix credas quàm multa

inuenerim, quæ non placerent; nihil autem quod displiceret magis, quàm quòd etiam qui egregiè præter cæteros industrij & ingeniosi erant, ij Scripturas aut omnino non legerent: (paucos excipio, quibus optimi obtigerant consultores) aut ita legerent, vt non legisse præstaret: quam studiorum infelicitatem cum Propositiones *imitarentur, alterutra necessariò fiebat, vt vel iejunæ essent & exangues, vel eloquentia seculari prætumidæ. Huic morbo cùm meæ partes essent, vt qui Scripturarum expositionem demandatam habeam, pro modulo nostro medicinam facere, nihil occurrebat opportunius quàm si medicos imitarer, qui & remedijs vim naturæ morbum expugnare moliuntur, & suam cuique, pro temperamenti habitu, victûs normam & valetudinis rationem præscribunt: nam & singulorum studia, in ijs potissimùm quæ ad Scripturas spectant, priuatis colloquijs sedulò ordinaui, & publicè ea dixi, quæ vniuersis profutura confidebam: quàm bene, res demonstrabit, nec dicere meum est; hoc certè præter expectationem accidit, quòd mihi per eam ipsam operam conduplicatæ*

diam, erit cur mihi gratuler: sin minùs, hoc certè in lucro ponam, quòd Tyronum animos commouero, vt Virorum Doctorum qui me ætate, eruditione & rerum experimentis superant, sententias exquirant. Cur istud autem ego, quantulum id cunque est, Tibi patissimùm nuncuparim, neque expectas Tu vt dicam, nec diuinare laborabunt, qui vtrumque nostrûm norint: nam cum Tibi tantùm debeam, quantum homo alteri debere potest, vtne cætera hîc dicam, quæ me memorare nec Christiana tua ferax humilitas, nec arctissima illa, quæ inter nos est, affinitas & necessitudo patitur, Tu vnus omnium occurristi, cui ego maximè hanc fraternæ dilectionis & gratæ animi notam debere viderer. Vale & me ama.

DE STVDII THEOLOGICI RATIONE.

HVMANISSIMI AVDITORES.

CVM Prælectiones noſtras quas feriæ Autumnales interruperunt, nobis hodiernâ die, ex hujuſce Academiæ inſtituto, denuò reperendas viderem, operæ pretium me facturum exiſtimaui, ſi meam vobis de tota ſtudij Theologici ratione ſententiam aperirem, vt quoniam qui benè cœpit dimidium facti habet, ſtudia veſtra felicibus auſpicijs hoc anno inſtauretis, & quàm optimè fieri poterit ordinetis. Quoniam verò duo genera Au-

Digitized by Google

ditorum mihi hîc adesse video, quorum alij majores, alij minores in Theologia progressus fecerunt, ita me in hac nostra dissertatione adhibebo vt ea & tyrones, & prouectiores audiant, quæ ipsorum studijs non inutilia futura confidimus.

Porrò vt rem totam paulò altiùs repetam, ei qui disciplinam nostram capessere instituat, id inprimis faciendum crediderim, vt inuocato priùs Dei nomine, seriò apud animum suum reputet, an is sit quem Deus ad Ecclesiæ suæ ministerium vocare decreuerit. *Nam fidus est hic fermo, si quis Episcopatum appetit*, non modò *opus præclarum optat*, sed etiam difficile, quodque suâ difficultate ipsos, opinor, Angelos deterreat: quantum enim, Deum immortalem! quantum illud est, in hacce humana infirmitate, non modò salutem tuam operari; sed quâ doctrinâ, quâ exémplo alijs suam operantibus opitulari.

Dixeris, vnde verò & quâ viâ quis poterit Dei voluntatem & destinationem edoceri? Facilis responsio, quisque se videat, & depositâ φιλαυτίᾳ, quæ pessima

consiliaria esse solet, æquâ lance examinet; abundè enim multa inueniet, quibus de Dei voluntate moneatur: duo enim sunt quæ in Theologo requiruntur; quorum alia sunt ἐφ' ἡμῖν humilitas, modestia, temperantia, deuotio, &c. Alia non sunt ἐφ' ἡμῖν, ingenium acre, firmum iudicium, tenax memoria, & si quæ alia sunt quæ in eo genere versantur; atqui in vtroque facilis est & non perplexa sui notitia.

Neque enim (vt de prioribus illis primùm dicam) longa admodum opus est disquisitione vt scias, an sis vir bonus; an in te vigeant, quæ suo iure Theologicæ virtutes appellantur, modestia atque humilitas.

Quòd si quis tamen ad eam rem regulas sibi præscribi postulet, sic ille habeat, posse se in re leui periculum facere; nam si ita est comparatus, vt ne in vestibus quidem, quæ tantilla res est, possit se ad modestiam componere, & eam quam profitetur artem, in exteriori habitu præ se ferre, ab eo quid expectes quando vsus Ecclesiæ, asperrimis præsertim hisce temporibus, postulabit vt seipsum abneget,

Digitized by Google

crucem ferat & Christum sequatur? Qui in Christi gratiam ne vestes quidem potest, quomodo vitam dabit? Qui ne suos quidem συμφοιτητὰς potest ciuiliter appellare, quid eum facturum par est sperare, quum ei erit omnibus, iuxtà docto & indocto, diuiti & pauperi, nobili & ignobili seruiendum? Quid enim aliud illa sunt *Pastor*, *Episcopus*, *Minister*, quàm seruitutis nomina, & huius quidem seruitutis, quâ nescio (κατ' ἀνθρωπον dico) an vlla sit durior: debet enim ille non corpus modò, quod profectò tolerabilius esset, sed (quod ne ipsi quidem tyranni à suis ciuibus vnquam exegerunt) animum voluntatemque mancipare, &, vt loquitur Paulus, *fieri omnia omnibus*.

Neque verò aliter de alijs existimandum quæ non sunt in nostra potestate: Quotus enim quisque est, qui si sit truncus & stipes, se truncum esse & stipitem non sentiat? Quem suum lateat iudicium atque memoria, quæ alios non latent: in primis cùm tot monitores habeat, hominum famam, propriam conscientiam, æquales, denique magistros.

Digitized by Google

Res itaque facilis est, vti omnes, opinor, intelligitis; ad quam adeò *ingeniorum examen*, quod Patrum nostrorum memoriâ, vir ingeniosus tentauit, aduocare nihil omnino necesse sit: at in qua tamen ab ijs, quos omnium minimè oportebat, multipliciter erratur: parentes intelligo, qui quid sit esse *Ministrum Euangelij*, cùm ipsi sæpe nequaquam intelligant, ad ministerium tamen Ecclesiæ, nullo adhibito delectu infelices liberos protrudunt; & præterea pij & humani videri volunt, qui quod charissimum habebant, Deo consecrarint scilicet: Qui profectò idem mihi facere videntur, ac si miseros adolescentes, tanquam piaculares victimas de rupe dejicerent, aut molâ asinariâ collo circumpositâ præcipites darent in mare; quàm atrox autem sit istorum hominum culpa multò facilius intelliget, qui eorum consilijs intimus, animi fines & respectus nouerit; planè enim alios inueniet, quàm quos solent illi apud plebem imperitam jactitare.

Nam si ex pietatis instinctu quis liberos suos, vt Anna filium Samüel (quem

ideò *non tam viscerum matris, quàm fidei & labiorum filium* Antiquitas appellauit) Dei seruitio consecraret, ille liberorum mores atque indolem sedulò exploraret, an non in ijs diuinæ vocationis aliqua posset delineatio deprehendi. Quos enim Deus sibi seruos asserere, & Ecclesiæ suæ ministros dare semel constituit, in eorum animis eos pietatis igniculos accendit, è quibus scintillæ micant, quæ sese ignorari minimè patiuntur: nam & frequenter Deum orant, & sacris libenter interfunt, & quum psalmos Dauidis canunt, pectus suum tacitâ quâdam voluptate pertentari sentiunt: Quòd si eos mundo & mundanis interesse hominum consuetudo, & huiusce vitæ necessitas cogit, latente quodam & potenti instinctu, cuius causam ipsi ignorant, aliò protrahuntur.

Quid verò in B. Athanasio, cùm adhuc infans esset, existimatis fuisse illum lusum, quo puerili licentiâ, munia Episcopi imitatus, æquales suos baptismo consecrare aggressus est, quàm Dei ipsius tacitam vocem quæ B. Athanasium Episcopum Alexandrinum designaret? Quid in Origene,

Digitized by Google

qui tantò ante vixit, ineffabilem illam rerum sacrarum atque inexplebilem sitim, cuius admiratione perculsus pater, eius cubiculum ingressus, dormientis pectus nudasse dicitur, & tanquam sacrarium quoddam Spiritûs S. osculatus? Ipse de se affirmat B. Augustinus, qui seriùs ad fidem Catholicam traductus est, se etiam antequam Rhetoricam doceret, indeprehensibili & occultâ virtute ad lectionem Scripturæ S. fuisse inflammatum, & ex Nebridij & Alipij sermonibus magnam voluptatem percepisse. Quòd si majora magnis componamus, ipse Iohannes Baptista cùm ad salutationem Mariæ in vtero exsultat, nonne videtur iam tum *vocem clamantis in deserto* meditari & conari?

Et nos quidem quàm à sanctitate, non modò Iohannis Baptistæ, sed & Sanctissimorum Patrum longè absimus, satis profectò intelligimus; at dico tamen Deum qui fuit olim, etiamnum esse Ecclesiæ fautorem atque patrem, qui se nec in Mundo, nec in Ecclesia vnquam reliquit ἀμάρτυρον: quos itaque ad vineam suam locat, eos suo signat sigillo & pietatis su-

Digitized by Google

turæ in ijs aliquam σκιαγραφίαν depingit. Quanquam enim Deus aliquando ex latronum ſpelunca & publicanorum telonio ſibi adſciſcat, quos poſtea in excelſiori Templi ſede conſtituat, vt *eorum lux luceat coram hominibus*, id, quia inuſitatum eſt & miraculo proximum, Vir prudens in conſilium adhibere non debet, niſi ſi ſponſorem habeat Deum, ſibi eiuſmodi ſucceſſum deſtinari.

Dico itaque ei qui regulas prudentiæ, in omni paulò majoris momenti negotio frequentatas ſequatur, haut difficile eſſe de futuro capere augurijū. Quid iſti quorum arguimus ſtultitiā? Pro eo quòd debebant vocem Dei multifariam loquentis audire, & quócunq; vocat ſequi; id vnum quærunt quid rebus ſuis maximè conducibile videatur; quippe tres eſſe vias quas inſiſtere oporteat, Iuriſprudentiam, Medicinam & Theologiam; & in Medicina quidem id incommodum videri, quòd qui Medicinam faciat, ei, vt plurimùm, ſit expectandum dum ætas experientiam firmauerit, neque interea ſuppetat vnde familiam ſuſtentet ſuam; peſſimam autem eſſe ar-

Digitized by Google

tem quæ artificem non alat : ex Iurisprudentia, difficillimis hisce temporibus eos tantùm rem facere, qui τὸν κρατοῦντα δόξαν amplectuntur; supereſſe itaque Theologiam quæ, ſi non opimum, at mediocre tamen dabit ſtipendium; atque eâ re fit vt qui ſunt in re lauta, noſtram diſciplinam vt plurimùm aſpernentur : qui ſunt in re tenui, eam ſæpe haſtenus excolant vt ſibi ex ea victum parent. Quod non eò dico quaſi cum Iudæis façerem, quorum hoc eſt vetus dictum, *Spiritum S. non habitare niſi apud diuitem :* Chriſtum enim qui *Spiritum habuit ſine menſura*, non habuiſſe *vbi caput reclinaret* Chriſtianus nemo ignorat ; ſed diſciplinam noſtram aliorum ambitioni & auaritiæ ſeruire; ab alijs verò ſperni, id eſt quod boni omnes deplorant, & nos præſertim ægrè ferimus, quos mali illius in primis ſenſus tangit : nam nobis aliquando adueniunt Auditores ab omni meliori literatura imparati, ſæpe etiam officiorum humanitatis ignari, &, quod aliquanto peius eſt, qui ne proprium quidem ſuæ artis finem ſatis intellexerunt. Nam qui Eccleſiaſtæ eſſe am-

Digitized by Google

biunt, illi mundo & mundanis renuntiant, vt *ea curent quæ sunt Dei*, & Deo, rerum humanarum securi, se & sua omnia Deo voueant, dicent atque consecrent: at tu in istorum hominum vita qui se Theologorum titulo venditant, nihil cernas vnde à *terræ populo*, vel minimùm distinguantur; ijdem mores, eadem conuersatio, & (quod putidæ cuiusdam stoliditatis est) idem corporis cultus, eadem in vestibus elegantia.

Ecce verò tibi ex eo malo, vt ferè fit, aliud malum: cùm enim nemo repente fiat optimus, postquam illi sunt solenni ordinatione consecrati, cum persona mores non mutant, non fures, non mœchi, non homicidæ; boni ciues, in quibus Magistratus nihil requirat, meliores œconomi, pessimi pastores gregis, qui dum modò rem constabiliant suam, & concionem vix atque ægrè dolent, quomodo qui opus debent, se munere bellè defunctos putant: attamen tamen, quod non sine dolore dicere soleo; nulla est religio, quæ suos *religiosos* non habeat (neque enim votum, sed propositum *religiosos* facit)

Digitized by Google

Muhammedani suos habent, Pagani suos; quantò verò magis consentaneum est nos habere etiam nostros, qui modestiâ, sobrietate, precibus & ieiunijs tantùm cæteros superent, quantum doctrinæ puritate cęteris antecellunt. Sed ea de re olim diximus, &, Deo ita faciente, plura aliàs dicemus. Nunc nobis ad cætera veniendum.

Postquam hoc præmisso examine, Studioso stabit sententia sese ad Theologiam adjungendi; tum verò id ei erit videndum, quænam ad Theologiam subsidia requirantur: Theologi autem munus, apud nos quidem, duabus partibus continetur, rerum Theologicarum scientiâ, & concionandi peritiâ, quarum altera divelli ab altera non potest, quin ruina studiorum consequatur: nam qui animum priùs ampla rerum supellectile non instruxerit, & se præterea concionatoris titulo venditet, næ ille toto errat cœlo, qui pro concionandi arte, inanem tantùm loquacitatem obtrudit: qui contrà rerum scientia animum suum abundè ornaverit, & totam eam partem, quæ in stylo

Digitized by Google

& eloquutione versatur, susque deque habeat, ille idem faciat, ac si quis sibi lychnuchum pararet, oleum etiam affunderet, lumen accenderet, quod postea sub modio diligenter occultaret. Nobis itaque, si non hodie (neque enim temporis angustiæ patiuntur) at certè quando sese commodum tempus dabit, de vtraque dicere est animus.

Et ad rerum quidem Theologicarum scientiam quod spectat, (de ea enim primus est dicendi locus) ei qui prima artis suæ ponat tyrocinia, inprimis author sum, vt de Institutionibus Theologicis sibi videat, quæ nec sint suâ tenuitate nimium exangues, nec suâ prolixitate graues.

Atque hîc non possum non deplorare infelicitatem nostram; nam habent εἰ ἐξ ἰναντίας Thomam Aquinatem qui totius Theologiæ ideam & periodum absoluat; apud Nos, in tanta virorum doctissimorum copia, vix vllum reperire est, in cujus lectione animus penitus acquiescat; qui enim controuersias tractarunt, illi eam partem penitus omiserunt, quam *positiuam* vocant: qui in *positiua* Theologia

Digitized by Google

versantur, aut controuersias planè omittunt, aut ita ieiunè tractant, vt ferè satiùs sit non attigisse: quod in Virorum præstantissimorum contumeliam non dico, qui suam operam alibi fortè meliùs posuerunt: nam qui nihil omnino dare tenebatur, cùm aliquid dat, eius liberalitas laudanda est, non tenuitas accusanda.

Quandoquidem itaque quod maximè optaremus non datur, at datis tamen vtendum & fruendum est. Tyrones itaq; hortamur vt vnum aliquod Theologiæ systema in manus sumant, quod per aliquod tempus legant vnum, terant, discant etiam; certè è manibus non priùs deponant, quàm illius regulis & præceptis penitus imbuti fuerint: *Nam lectio certa prodest, varia delectat: qui quò destinauit peruenire vult, vnam sequatur viam, non per multas vagetur: nam non ire illud, sed errare est: onerat discentem turba librorum, non instruit: multoque satius est, paucis te authoribus tradere, quàm errare per multos*: quod de librorum lectione à Seneca generaliter dictum, præsertim de methodis Theologicis verum esse arbi-

Digitized by Google

tramur; cùm pluribus eiusmodi libris immorari, & nullos omnino legere, studijs vestris æquè noxium & damnosum sit: nam vt qui nullos legerit, Theologiæ (vtut aliàs in scripturæ lectione exercitatus sit) imperitus habebitur; cùm res, pessimo sanè instituto, eò adducta sit, vt pro Theologo non habeatur, qui idem non sit Methodista optimus; ita qui plures versauerit, memoriam non tam adjuuabit, quàm rerum diuersitate obruet opprimétque: cùm tamen methodi Theologicæ in eum præcipuè finem inuentæ sint, vt memoria subleuetur, & quæ hic illic in Epistola ad Romanos, in Geneſi, in Apocalypsi &c. sparsa jacent, tanquam in classibus quibusdam, intellectui vno obtutu contemplanda proponantur.

Atque ea est ratio, cur cùm ad eam rem innumeri, quisque pro suo captu & sensu, suam contulerint symbolam; (ex Veteribus quidem Clemens Alexandrinus, Origenes, Ruffinus, B. Augustinus, Iohannes Damascenus, & qui propiùs ad nostra tempora accessit Petrus Lombardus: ex recentioribus tot, quot enumerandis pagina

non sufficiat, vnum, honoris causâ, appellabo Iohannem Caluinum opere admirabili, cui titulus est *Institutio Christiana*) qui & erant variè instituti, & diuersis longéque à se inuicem dissitis temporibus scripserunt, omnes tamen cõmodè, quoad ordinem quidem, suas institutiones adornarint. Nempe *methodi disciplinarum in puncto indiuisibili non consistunt, quod qui non attigerit, eum à scopo aberrare necesse sit; Sed possunt innumerabilibus viis & flexibus explicari.* Sicut igitur possumus totam rerum naturam, vel in decem Archytę categorijs collocare: vel ad duas reuocare, *substantiam* & *accidens*: vel, si animo ita visum est, ad tres redigere *substantiam*, *accidens* & *non-ens*, ita vt sub non-ente denominationes externæ, relationes, priuationes, modi entis &c. comprehendantur: (quæ purum nihil non sunt, neque tamen substantiæ aut accidentia) aut etiam, si lubet, nouas categorias comminiscì; cum vnum hîc quæratur, vt quæcunque sunt in natura certo quodam ordine distinguantur in memoriæ subsidium; pariter nihil verat disciplinæ

noſtræ dogmata variè ordinari, prout id quiſque ſuæ memoriæ, cuius non minor eſt quàm vultûs diuerſitas, commodum exiſtimabit.

Et nos quidem quænam methodus nobis omnium maximè commoda videatur, meminimus nos Theſibus *de Natura Theologiæ* declarare, vt quis ſcilicet eodem ordine in diſcendo progrediens, quo Scriptura in docendo, cùm ad reuelationem factam Abrahamo ventum fuerit, eam partem ſic tractet, quaſi de Moſe & Moſis lege nihil vnquam audiuiſſet: quando verò in ea parte quæ de Moſe eſt explicanda verſatur, ita totum illud examinet, quaſi Prophetas & Ieſum Nazarenum ignoraret, & ſic porrò, vſque dum perlecto ſumma cum attentione vtroque Teſtamento, calculum ponat, & (vt fit in logiſtica) quænam ex additione & collatione omnium illatum rerum ſumma colligatur, ſedulò videat; licet, inquam, ea methodus omnium maximè nobis probetur, at alias tamen formas eſſe non negamus, ad quas dogmata religionis Chriſtianæ inflecti queant.

Ecce

Digitized by Google

Ecce enim vobis dogmata religionis Christianæ congesta in aceruum, lex, peccatum actuale, mors, damnatio æterna, Euangelium, Deus, Trinitas, Christi Incarnatio, creatura, Angelus bonus, Angelus malus, passio, resurrectio, mors Christi, homo, Ecclesia, lapsus hominis, pœnitentia, fides, iustificatio, peccatum originale, arbitrium, bona opera, charitas, spes, sacramenta, circuncisio, agnus Paschalis, baptismus, functiones ecclesiasticæ, traditiones humanæ, cœremoniæ, vita æterna, iudicium extremum, resurrectio vniuersalis, Magistratus. Quæ confusa esse & conturbata ipsi opinor videtis: at bene est quòd isti rerum syluæ facillimum est lucem, hoc est, ordinem inferre: expertus dico, cùm enim ab Auditoribus meis ante annum exegissem, vt eam, qua plurimùm vteretur, quisque pro se methodum promeret; omnes in diuersa abierunt, neque tamen vllus fuit qui non diceret quod satis esset: quidni dixissent, cùm nudæ peterentur ordinationes rerum ad memoriam subleuandam comparatæ: nam scientificas methodos inuenire quæ ordinando

docent & docendo ordinant; vt si quis dogmata diuidat in *fundamentalia* & *non-fundamentalia*; (prout id in Iudæorũ dogmatis disponendis conatus est Vir Magnus Moses Maimonides) & *fundamentalia* item in varias classes distinguat; cùm alia sint *fundamentalia* vbique, apud omnes, & semper: alia apud omnes, sed non semper &c. Methodos, inquam, τετυπωμένους inuenire, eorum tantùm est qui sunt exquisiti iudicij & consummatæ eruditionis.

Totus itaque tuus labor (vt consilij vestri summam breuiter aperiam) in eo versari debet, vt methodum Theologicam quàm optimam nanciscaris; quòd si tibi optima non obtigit, at eam tamen, quam jam habes præ manibus, qualiscunque illa est, retineas, neque alio habeas loco, quàm si optima esset: istud enim profectò malim, quàm ab vna ad aliam desultoriâ leuitate, transuolare, ne alia aliam conturbet & peruertat, & dum plures congeris, nullam habeas.

Neque verò tamen (quod quis vestrûm fortè existimet,) omnes alias è mani-

Digitized by Google

bus ſtudioſæ iuuentutis excutimus, vt quam cuique caſus, aut amici, ſæpe indocti, conſilium obtulit, ea vtatur, cæteras aſpernetur: legantur illæ ſiquidem ita lubet, nihil enim profectò impedimus, dum modò vna aliqua ſit domina quaſi & magiſtra, ad quam, acceſſionis loco, cæteræ reuocentur; ſic ſi, exempli gratiâ, nouiſſima illa methodus, quæ tibi heri aut hodie oblata eſt, locum communem *de libero arbitrio & gratia*, in finem rejecerit; altera illa, cui pridem immoratus es & quaſi innutritus, à *libero arbitrio & gratia* ordiatur, locum *de libero arbitrio & gratia* primum legas, ſicut rem primitiua illa & tibi familiaris methodus ordinauit; quæque adeò inſtar fili Ariadnei eſſe debet, quòd te per varios diſciplinæ tuæ ſinus quaſi & labyrinthos circumducat: nam ſi nullâ aliâ re cæteris antecellit, immo longè inferior eſt; at id eximij certè habet, quòd familiaris, quòd nota: quomodò veteres amicos nouis ſæpe præferri videas, non alia de cauſa, quàm quòd veteres, quòd familiares, quòd pluribus officijs vincta cum ijs amicitia eſt. Atque

hæc de Methodis, siue Institutionibus Theologicis dicta sunto.

Nunc de Scripturæ lectione videamus, in qua totius studij Theologici summam positam arbitramur: controuersias enim, Scholas, systemata Theologica nos hactemis probamus, si modò lectioni Scripturæ sacræ conducibilia videbuntur. Hic autem primùm velim Studiosos, (tyrones adhuc alloquimur) à libris historicis incipere; tum quia legentis impetum minùs retardant; tum quia historia sacra in Theologia fundamentum est quod dogmatis substernitur: nam si inter Iurisconsultos censeri non potest, qui Reip. Romanæ, cuius leges etiam nunc juris omnium optima norma sunt, historiam ignoret: quomodo inter Theologos poterit nomen referre suum, qui Ecclesiæ, *quæ columna est & firmamentum veritatis*, infantiam quasi & incunabula, adolescentiam, maturam ætatem, bellum, pacem, captiuitatem dicere non habeat? Atqui illa omnia tibi conficient Scriptura, Machabæorum libri (prior præsertim, cui omnes docti fauent) & Flauius Iose-

phus : nam vetus Testamentum ab Adamo vsque ad restaurationem Templi historiam perduxit : à restauratione Templi vsque ad tempora Antiochi Epiphanis, ducem habebis Iosephum, non paris quidem, sed magnæ tamen authoritatis Virum : persequutionem Ecclesiæ sub Antiocho libri qui *Machabæi* inscribuntur, expedient : hîc iterum Iosephus consulatur vsque ad Herodis M. tempora, quibus jam prælucent ipsi Euangelistæ ; ad quæ si tu actus Apostolicos adjunxeris, habebis Ecclesiæ historiam vsque ad captiuitatem Pauli.

Cùm historiam dico, facilè intelligitis, tabulas Chronologicas & Geographicas simul commendari, quæ illa omnia, si non δι' ἀκριβείας, ἀλλὰ τύπῳ γε describant; hucusque saltem vt Herodem in Iudæa regnasse, quando Ptolomæus Philadelphus libros Legis vertendos curauit ; vel Abrahamum de regibus Persarum triumphasse in animum non inducas tuum : nam quia duo illa (Chronologiam & Geographiam dico) sunt oculi historiæ, qui sit ab ijs penitus imparatus, & præterea velit in histo-

Digitized by Google

tia Ecclesiastica pergere; idem faciat ac si quis oculis orbatus orbem terrarum lustrare suscipiat.

Vnum hoc vereor, ne Studioso præconcepta facilitatis opinio imponat: libri enim historici Bibliorũ *in aditu blandiuntur, cùm verò intus admissus fuerit aliquis, commendatijs est opus*: nam quia librorum historicorum stylus simplex est & tenuis; aures verò nostræ crebra narrationum illarum auditione pulsatæ, quas nobis matres sæpissimè, in ipsis ferè incunabulis instillarunt, hinc sæpe fit, vt ijs assuetus animus, ad singula minùs attendat, & quia (exempli gratiâ dico & alia sunt innumera id genus) quotiescunque illud Christi audiuit, *hodie mecum eris in paradiso*, illius animo certa & præconcepta idea semper oblata est, quid sit propriè *paradisus* & quo sensu à Iudæis ea vox acciperetur, ne illi quidem vnquam in mentem venit quærere. Verùm facile fuerit in posterum, postquam scilicet semel à me moniti estis, singula ad examen reuocare, & inter legendum vos non esse gregarios, sed literatos homines meminisse.

Digitized by Google

Atque ita nobis sex primi menses clauduntur, qui institutionis Theologicæ & librorum historicorum Scripturæ, cum subsidijs à me positis, ter quaterve repetita lectione continentur. Hui tam multa! inquies. At scio ego plura ab eo posse præstari qui diligentiam & in studijs ordinandis iudicium adhibeat; præsertim cùm ex Academiæ instituto, qui sese in disciplinam nostram primùm tradunt, per totos sex menses concionibus exercitatorijs disputationibusque immunes sint, & nihil aliud quàm auditores. Verùm vultis dicam liberè quod res est? Plerique ferè omnes qui ad Theologiam se adjungunt, vbi Philosophiæ stadia emensi sunt, quoniam sibi & suo iudicio permittuntur, ipsi se in re, in quam alioqui casui & fortunæ minimùm iuris est, casui tamen & fortunæ permittunt; & instar nauis, quæ excusso clauo huc illuc impellitur, ita illi temerè & inconsultò modò ad hunc, modò ad illum librum feruntur: cuius rei causam si quis quærat, non aliam quàm αὐτοδίδακτον inueniat: nempe institutionis Theologicæ, quam primam in manus

Digitized by Google

sumpserunt, decem duodecimve paginas, magnâ animi contentione legunt; deinde quando nouum librum audiunt commendari, eum illico, priori illo sepositò, arripiunt; atque exinde fit vt quum repetitur infelix ille liber, totus jam situ & mucore putiscens, illius fastidium statim obrepat: quidni enim, cùm eorum quæ olim legerat, quæque sequentium vinculum esse oporteat, iam oblitus sit, & si cum fructu velit pergere, ei sua vestigia relegenda sint? Quare vt fastidium illud abstergat, ad alium librum transuolat, in quo pari cum infelicitate versatur; & sic quia nimium multa vult legere, perperam & infeliciter legit: nam *quod in peregrinationibus vitam agentibus videmus euenire, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias, idem accidat necesse est iis, qui nullius ingenio se familiariter applicant, sed omnia cursim & properantes transmittunt.* Quid verò causæ esse putatis, cur inter studiosos Philosophiæ qui sunt maximè lenti atque hebetes, tamen intra biennium generalem artis suæ ideam informent, quid quoque loco di-

Digitized by Google

cere oporteat non ignorent, parati etiam definitiones & diuisiones suas memoriter recitare: inter Studiosos Theologiæ aliquando inueniantur, qui postquam totos sex annos in puluere Scholastico consumpserunt, nihil aliud referant præter indigestam præceptorum farraginem? Hæc profectò ipsissima est inordinata & dissipata legendi ratio.

Verùm, vt ad institutum nunc reuertar, à quo me abduxit ea quæ pridem animum mordet cura, dico, sex qui ex hoc anno supersunt menses, non posse meliùs quàm in legis Mosaïcæ & Epistolarum Apostolicarum lectione collocari: legi Mosaïcæ Epistolas Apostolicas continenter subjungimus, ne per biennium solidum continuata V. Testamenti lectio tædium pariat & tyronis impetum sufflaminet.

Hîc autem Studiosos monemus ne animum suum primâ illâ lectione nimiùm excrucient, quasi id illis negotij daretur, vt nihil inobseruatum, nihil non intellectum prætermitterent: quinimò ijs suaserim, vt simplici lectione contenti, nullis adhibitis scholijs & commentarijs, ad

Digitized by Google

oram libri (quod Pauli Veneti Viri Maximi fuisse consilium à viris fide dignis accepimus) adscribant quæ obscuriora videbuntur accuratiúsque examen requirent, atque ea iteratæ reseruent lectioni: illa enim iterata lectio majori iam debet apparatu & accuratione institui; nam & singulis locis vobis ampliùs insistendum erit, & consulendi commentarij, si vos propria deficiat industria; si vos, inquam, propria deficiat industria.

Atque illud est quod ego soleo Studiosis vsque ad fastidium inculcare; vt ad commentarios non adeant, quin priùs illis aqua hæreat, neque vltrà possint in loci examine, proprio remigio pergere: ad eos enim ex ea re, varia & multiplex vtilitas redibit; primò, quòd meditatione assuescet animus, absque qua sit, non modò ad summam, sed ne ad mediocrem quidem eruditionem peruenire sperandum est: 2. quòd memoriæ multò facilius imprimentur, quæ tacitâ cogitatione ruminata quasi & mensa animo commendabuntur: 3. quòd se eâ viâ multò facilius proficere sentient, quàm si quæ sunt alie-

Digitized by Google

nâ cogitatione concocta, vt fucus ignauus in alueario, deuorent & hauriant; atque ex eo sensu alacritas, ex alacritate pertinax discendi & proficiendi studium.

Cæterum cùm Commentatores dico, eos intelligo, qui Scripturam breuibus & ad sensum literalem accommodatis obseruationibus illustrarunt; non qui occasione Scripturæ Scholas suas (quas locos communes vulgò vocant) in medium protrudunt; quibusque adeò libri sacri, non tam sunt commentationum argumentum, quàm præjudiciorum loci quidam atque indices: vel qui Scripturam S. per analyses, iuxta Dialecticorum regulas, artificialiter resoluunt: nihil enim aliud sunt illæ analyses, (ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ dico, nam & hîc exceptio suum locum inueniat) quàm, vt Iosephus Scaliger scitè solitus erat dicere, *portus ignorantiæ, inanis loquacitatis campus & ἀυδαδείας pabulum*: nam qui quemque, vel clarissimum versum in *prædicatum* & *subjectum*, & *prædicati* & *subjecti* adjuncta, tanquam in fila tenuissima diduxerunt, sibi aliquando belli homines videntur, cùm sint

Digitized by Google

saperdæ meri; quod enim tanto conatu, tantâ circuitione verborum vix duodecim paginis concluserunt, id vir cordatus sæpe verbo expediat.

At sunt tamen, inquies, inter Dialecticos istos Scripturarum analystas Viri docti. Viri, inquam, doctissimi; tantumne? Maximi etiam; verùm non quæritur, nunc quidem, quàm docti & magni illi sint, sed quàm periti Scripturarum interpretes; ego prius illud vt facilè concesserim, ita posterius non nisi vix atque ægrè concedam. Eúmne verò tu optimum Scripturarum interpretem dixeris, qui prima illa verba Euangelij secundum Matt. Βίβλος γενέσεως exponens, pro eo quod verbo dicere poterat, apud Heb. tabulas genealogicas *sepher tholedoth*, βίβλον γενέσεως vocari, atque adeò has voces non esse totius libri, sed illius tantùm partis, quæ est de genealogia I. Christi titulum; multa de librorum vsu, necessitate & inuentione commentetur?

Enimuerò quandoquidem librorum commentariorum incidit mentio, non abs re erit de *Concordantijs* pauca dicere:

Digitized by Google

nam si quis modò ijs benè vti nouerit, optimi commentarij vicem illæ facilè præstabunt: scitè dicebat Samuel Bochartus Cadomensis Vir immortalitate dignissimus (qui nobis ante duos annos cum incredibili bonorum omnium luctu ereptus est) dicere, inquam, solebat, se nullum commodiorem Scripturarum interpretem inuenisse quàm Auicennam: nam quia Arabum lingua mirum quantum in Scripturis intelligendis iuuabatur, omnes quos in ea lingua magistros adhibebat, plurimùm autem Auicennam adhibebat, sibi esse Scripturarum interpretes Vir notæ vrbanitatis inter amicos solebat dictitare: at quod ille per jocum de Arabibus, de ijs profectò verissimè quis dixerit, qui nobis Concordantias adornarunt. Ipsum Faustum Socinum, qui à suis ob Scripturarum intelligentiam tantopere celebratur, scimus hebraicè & græcè fuisse minùs quàm mediocriter eruditum, vt ipse responsione ad Pighium agnoscit; at quâ erat πανουργία, dictionario Iohannis Forsteri & varijs variorum concordantijs vsum fuisse, vt id extunderet, quod suo

errori maximè fauere videbatur : quod ego ideo commemoro, vt intelligatis quàm magnum ex Concordantijs Orthodoxi petere possint subsidium, cùm qui de religione Christiana malè senserunt, per eas suis erroribus fucum facere quæsierint.

Ex omnibus autem Concordantijs V. Testamenti, eæ Ioh. Cameroni excellentissimo Theologo maximè, neque id sanè immeritò probabantur, quas Conradus Kircherus ad versionem septuaginta interpretum concinnauit : nam quia, Hebræis vocibus aptissimè respondent, potest Lector versionem LXX. Interpretum cum textu Hebræo facilè comparare; vnde porrò magnum compendiũ, etiam in N. Testamẽti lectione ad Studiosos redibit. Rem ego in tyronum gratiam, vno exemplo declarabo, quò eas vtiliter tractare & ipsi discant. Legimus apud Paulum capite vlt. Epist. ad Eph. versu 15. hæc verba, καὶ ὑποδησάμενοι τὰς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης : eum locum ita vertit vetus Interpres ; *& calceati pedes in præparationem Euangelij pacis* : Erasmus,

Digitized by Google

& parati ſitis ad Euangelium pacis: Beza, *calceatis pedibus præparatione Euangelij pacis*. Malè omnes, quòd quid eſſet apud Helleniſtas ἑτοιμασία non ſatis attenderent: tu Concordantias vide & vocum Græcarum indicem conſule, qui fine tomi ſecundi habetur; inde diſcere poteris LXX. Interpretes pluribus locis ἑτοιμασίαν vertiſſe, vbi in Hebræo erat *machon*; Hebræis autem *machon* eſt baſis, ſedes firma, fundamentum. Sentitis iam nos ope concordantiarum loci explicationem inueniſſe? Vertite igitur: *calceatis pedibus Euangelio quod eſt fundamentum, baſis*, in qua ſcilicet pedes mrò conſiſtant: cur autem 70. Interpretes *machon* per ἑτοιμασίαν reddiderint, facilè intelligent, qui modò LXX. Interpretum conſuetudinem non ignorabunt: *chon* enim, in pihel *chonen*, præter alia multa, ſignificat, *præparare*, is autem Græcis Interpretibus conſtantiſſimus mos eſt, vt cùm vox ebræa plura & diuerſa ſignificat, in illius locum vocem Græcam ſubſtituant, quam, etiam præter Græci ſermonis vſum, ad omnes illius vocis ſignificatus indifferenter ex-

Digitized by Google

tendant. Plura alia id-genus obſeruauimus, quæ alibi ſuum locum bene inuenient; at hoc ſingulare volui, οἱονεὶ γεύματος χάριν vobis proponere, vt concordantiarum Kircheri vſum vobis quaſi digito indicarem.

Concordantijs accenſemus obſeruationes grammaticales ad textum Biblicum, quales nuper editæ ſunt Geneuæ authore Petro Launæo: cujus Viri felicitatem ſoleo ego admirari; nam otio alijſque præſidijs abundabat, ſine quibus literati haud facilè emergunt; & luculenta Bibliotheca inſtructus erat; valetudinis verò adeò firmæ, vt annum nonum ſupra octogeſimum expleuerit, &, quod rei caput eſt, qui eam viam inſtituiſſet, quæ tutiſſima eſt & compendioſiſſima; atque ea eſt cauſa cur Petrum Launæum inter optimos Scripturarum interpretes numeremus.

Poſtquam Studioſus legem Moſis, in primis verò librum Leuiticum, cujus eſt inſignis cum difficultate conjuncta vtilitas, & Epiſtolas Apoſtolicas ter quaterve lectitarit, dici ferè non poteſt, quàm magna

magnâ lætæ ſegetis ſpes in annum ſequentem futura ſit; ſi modò ijs per totos illos ſex menſes, horis ſucciſiuis, jungantur ſuprà à nobis laudatus Flauius Ioſephus, Petrus Cunæus de rep. Hebræorum, & Synagoga Iudaïca Iohannis Buxtorfij.

Et Ioſephus quidem, vt quæ ex hiſtoricorum librorum lectione in Scriptura didicit, ampliùs addiſcantur, & quæ omiſit Scriptura, vel breuiùs tractauit, ex eo libro poſſit ſupplere. Non temerè hoc monemus. Ioſephi enim hiſtoriam vulgò videmus non ſatis ſuo pretio & pondere æſtimari: alij enim Viri authoritatem aſpernantur; alij Euangeliſtis tantùm non anteponunt: nos ita exiſtimamus, Flauium Ioſephum iudicioſiſſimum eſſe Scriptorem, niſi quòd dum Iudaïcam doctrinam ad literaturam Græcanicam, fortè in gratiam Veſpaſiani & Titi accommodat, à genuino illo Iudaiſmi colore videtur alicubi receſſiſſe: at quæcunque ſit Viri authoritas, ſicubi diſſentit à Scriptura, non Scripturâ ex Ioſepho, ſed Ioſephum ex Scriptura emendandum,

Digitized by Google

Ioſepho hiſtorico Petri Cunæi eruditum & elegantem libellum de republica Hebræorum, item Synagogam Iudaicam Buxtorfij ſubjunximus; vt mores, ritus & inſtituta Iudæorum, ſi non accuratè, at certè quantum primo hoc anno ſatis eſt, noſſe & perſpicere incipiat: quando qui ijs deſtitutus erit præſidijs, fruſtra ſe in V. & N. Teſtamenti lectione magnos profectus facturum vnquam ſperabit. Neque verò hoc noſtrum eſt tantùm, ſed virorum doctiſſimorũ iudicium: duo nobis erunt inſtar omnium Ioſepus Scaliger & Iſaacus Caſaubonus, quos virtus & eadem de literis ſententia arctiſſimè, quandiu vixerunt conjunxit: *equidem non dubito* (inquit Caſaubonus ad Scaligerum, qui prior ea de re ſcripſerat) *multa ſacris literis ex Iudæorum ſcriptis poſſe atque adeò debere illuſtrari: ſed quotus quiſque eſt noſtrum qui de eo vel cogitet, vel par ſit tanto incepto?* Diceres Virum Clar. noſtra tempora reſpicere; nam illa quibus hæc ſcribebat, florentiſſima erant ſtudio literarum.

Neque verò (vt id etiam obiter dicam)

Digitized by Google

magnopere esse acutum oportet ad videndum, quid Viros Magnos mouerit, vt ita sentirent: nam quomodo legem Mosis possit commodè enarrare, qui homines nunquam viderit, vel certè eorum hominum libros nunquam legerit, qui hos ritus vsu ipsi frequentarunt & eorum modos & fines per traditionem (in ijs enim quæ praxi constant regnat traditio) à Patribus suis acceperunt, ego equidem fateor mè ignorare; paratus ideo vel biennij jacturâ redimere, Iudæos doctos & in lege patria exercitatos sex menses audire. Prophetæ porrò qui sequuti sunt Mosem, dum aduersus collapsos Israëlitarum mores detonant, eorum ritus & instituta singulo quoque versu alludunt. Neque sanè N. Testamenti alia est ratio, nam stylus ipsissimus est, qui erat illis temporibus Iudæis vsitatus; doctrina verò tacita quædam Euangelij cum lege, Mosis cum Christo comparatio: sex enim erant quæ de Mosis præstantia & dignitate apud Iudæos ferebantur, quibus Euangelistæ & Apostoli (vti nuper demonstrabam) tot quasi antitheses oppo-

nunt, quas qui exactè intelligere ſuſcipiat, neque de theſibus ipſis, quibus illę opponuntur, quidquam vnquam audiuerit, fruſtra animum fatiget ſuum. Nos certè cum prælegeremus vobis Euangelium Matthæi, meminimus probare in pleriſque ferè omnibus Chriſti miraculis χαρακτήριον aliquod notari, quo à Moſis miraculis, iuxta poſita ab ipſis Iudæis principia diſtinguantur.

Quid quod hiſtoria V. & N. Teſtamenti multa omiſit, ſupponere contenta: quomodo ferè ſi quis Gallus rerum Gallicarum hiſtoriam contexat; *Intendentium* autem fortè meminerit, hiſtoriæ filum opinor non interrumpet, vt quid ſint *Intendentes* apud Gallos, lectores ſuos doceat. Quorſum enim? Gallos alloquitur, quibus patrij ritus aut noti ſunt, aut noti eſſe debent: at pone eſſe aliquem hominem Hiſpanum, qui ad res Gallorum cognoſcendas ſe applicet, planè ei homini libri ſunt comparandi, qui Gallorum officia & magiſtratus ex profeſſo deſcribant: vnde illud diſcet, *Intendentes* eſſe apud Gallos, qui apud Romanos

Digitized by Google

præsides appellantur, ad prouincias ordinandas & regios census curandos missi. Neque sanè alia est ratio, cur in Romana historia plus fermè frugis è Græcis authoribus, quàm è Romanis viri docti colligant, quàm quia mores institutáque publica exteri accuratiùs docent. Nos autem quid aliud in historia gentis Iudaïcæ quàm peregrini atque hospites sumus? Oportet itaque nobis aliunde quàm ex historicis Scripturarum libris subsidia comparemus, quæ quod Scriptura, majoribus intenta, minùs fusè explicauit, præmonstrent illustréntque.

Vobis itaque ad eam rem duces erunt Carolus Sigonius & Cornelius Bertramus, vel si eos primis illis studiorum vestrorum rudimentis legere non vacat, quem superiùs indicauimus Petrus Cunæus, qui hoc argumentum præ cæteris egregiè pertractauit: item Buxtorfij Synagoga Iudaïca, quæ Iudæorum, præcipuè eorum qui nunc viuunt mores ritúsque explicabit: nisi quòd vereor ne qui eum librum nobis Latinum fecit, dum Iudæos aculeatis dictis pungit, & miseræ genti,

Digitized by Google

etiam vbi illa laudem meretur, facetè illudit, modeſtiam & æquitatem ex animo ſtudioſæ iuuentutis excutiat, quam Apoſtolus tum aduerſus omnes gentes, tum verò in primis aduerſus Iudæos cap. 11. Epiſt. ad Rom. commendat; quamque Iudæi Iohanni Buxtorfio, dum vixit, conſtantiſſimè præſtiterunt; ſed iſtud quidquid eſt vitij non difficile fuerit, adhibitâ in conſilium æquitate emendare.

Atque ſic nobis primus annus abſoluitur: poteram, vt facilè intelligitis, majus penſum præſcribere; at ita me Deus bene amet, vt volui non modo ſtudijs veſtris, ſed deſidiæ etiam (ſi qui ſint inter vos deſides) conſulere: verebar enim, ne ſi non planè neceſſaria commendarem, vos etiam à neceſſarijs mea abſterreret oratio. Neque tamen omittendum, quod penè omiſeram, primum illum annum nullâ re meliùs, quàm *Propoſitionis*, hoc eſt, concionis gymnaſticæ ſcriptione claudi poſſe: tum vt ſtudioſus ſtylum exerceat, tum vt progreſsûs alicuius ſibi conſcius, ad majora ſuſcipenda incitetur.

Sequens annus, vt me etiam non mo-

Digitized by Google

nente ipsi videtis, in eorum librorum qui ei nondum lecti sunt, & Apocalypseôs Iohannis Theologi lectionem impendetur: atque hîc nolim eundem ordinem seruari, quem seruarunt Viri Sanctissimi qui nobis Biblia in vnum volumen compegerunt; nam quæ difficiliora erunt, tyro in finem reseruabit, postquam eum exercitatio firmiorem fecerit, ne difficultas primis statim initijs oblata currentem sufflaminet.

Inter difficilia numeramus, non modo prima Geneseôs capita, Canticum canticorum & quod habet Ezechiel de opere *Mercauah*, ex quo Magistri Iudæorum totam suam Metaphysicam extundunt; item illa de constructione noui templi; (quæ omnia vetabant Iudæi ab eo legi, qui esset minor annis triginta) sed & librum qui Iob inscribetur, & Danielis Prophetiam, quam non malè Veteris fœderis Apocalypsin voces; immo, quod cui vestrûm fortè mirum videri poterit, Salomonis Ecclesiasten & ipsos Psalmos Dauidis, de quibus ita existimamus, *quàm procline est eorum librorum sibi mediocrem cogni-*

Digitized by Google

tionem comparare, tam difficile esse eorum exactam & accuratam scientiam adipisci. Ab ijs itaque incipiat, qui proprio suo iure nomine Prophetarum apud Christianos veniunt; nisi si quid fortè obstet, putà magistri, loci, temporis, libri commentarij opportunitas & alia quæ à me singula enumerari nequeunt, ita multa sunt; in eo enim malim quemque iudicium suum, quàm anxias leges sequi.

Hic autem omnes ferè regulæ adhibendę, quas suprà ad Mosis & Apostolorum epistolas præscripsimus, vt nihil necesse sit easdem denuo proponere: tria tantùm sunt, quę istius loci propria sunt præcepta. Primum, vt cùm quis se ad Prophetarum lectionem adjungit, sedulò videat, quo anno quisque scripserit, sub quibus regibus, Hierosolymisne apud Iudam, an Samarię apud reliquas tribus? Cuius stemmatis & stirpis ille fuerit; regięne, vt Esaïas *Vir nobilis & vrbanæ eloquentiæ*, vt habet Hieronymus; (mallem dixisset diuinę, neque enim Esaïas sine suspicione ab vrbanitate laudatur) an plebeię, vt Amosus; & si quę sunt alia

de genere hoc, dici enim fermè non potest, quanti sit illa προπαιδεία ad Prophetias intelligendas. Verùm quoniam & hęc & quę sunt istiusmodi, memoriam vt plurimùm pręterfluunt, ea Studiosus chartę adscripta parieti appendat, & aliud quasi agens, musæolum obambulans, cum amiculo confabulans, singula sæpe repetendo, memoriæ instillet & fugitiua hoc retineat nodo.

Altera nostra regula ad Geographiam spectat: nam quia apud Prophetas, non modò locorum Palæstinæ, sed earum etiam regionum, quę sunt Palęstinæ ὅμοροι, quæque cum gente Israëlitica crebra odia exercebant, frequens est & passim repetita mentio, vt cùm illis horribile illud suum *massa* denuntiant; omnino oportet Studiosum ista omnia ad tabulas suas Geographicas reuocare: nam primò, illæ erunt memoriæ fulcimentum: 2. claram rei in animo ideam describent: denique animum de tam seuera lectione fessum recreabunt.

Tertium nostrum præceptum, cuius momentum ij demum intelligent, qui

Digitized by Google

ſunt πλεῖοι, in eo eſt poſitum, vt ſenſui literali, quantum quidem fieri poteſt, arctiſſimè adhæreſcatis; neque ab eo vnquam diſcedatis, niſi quum vſquequaque nihil occurret, neque in Prophetæ inſtituto, neque in illorum temporum hiſtoria, quod ſenſum literalem fulciat: nullos enim peiores Scripturarum interpretes experimur, quàm qui ſenſu literali omiſſo, religionem Chriſtianam ex quouis Veteris Teſtamenti loco excudunt, hoc eſt, qui integro putamine nucleum quærunt: ita enim exiſtimamus, habere totum fere Vetus Fœdus, ſi pauca loca excipias, ſenſum, vt illis temporibus, ſatis commodum & Iſraëlitarum rebus vtcunque accommodatum: at in eo Dei ἄφατον eminuiſſe ſapientiam, quòd illis ſenſum ſublimiorem ſuperinduxerit, quem dum Apoſtoli per ſacram Spiritûs S. cabalam eruunt, nos rerum tantarum admiratione defixi ſtupemus, & Patrem noſtrum qui eſt in cœlis laudamus, quòd ea occultauerit ſapientibus; paruulis autem reuelare dedignatus non fuerit.

Prophetarum itaque ſimul & cætero-

Digitized by Google

rum librorum qui legendi adhuc supersunt, studio totum annum impendat: neque enim veremur, ne eum nostri consilij pœniteat, quandoquidem hinc prædictiones futuri, religionis Christianæ fulcimenta & styli sublimioris exempla petet.

At enimuerò quoniam difficile est, tyronibus præsertim quibus hæc commentamur, huicce studio, in quo nihil inuenire est quo animus lectoris oblectetur, totos dies assidere, potest succisiuis horis, quales sunt hybernæ ὑποδρομίδες, (mihi enim videor obseruare studia vestra nunquam magis feruere, quàm hyemis rigore sæuiente) Eusebij historiam Ecclesiasticam lectitare; vt Ecclesiæ historiam, quam ad Pauli vincula perductam interrupit, vsque ad æuum Constantini continuet.

Historiam porrò Eusebij commemoro, non quòd is Scriptor omninò nobis probetur; fuit enim author primùm vanissimus, quod si nihil aliud, at hoc tamen clarissimè demonstraret, quòd descriptionem quæ à Quirino facta est impe-

Digitized by Google

rante Auguſto, ex Ioſepho contra omnem fidem expiſcari moliatur : deinde, quem partium ſtudium (quod in hiſtorico vitium eſt maximum) ſæpe tranſuerſum egit, vt qui Methodij (vnum è multis ſumo, Auditores, ſexcenta enim alia ſunt iſtiuſmodi) quem Hieronymus, parcus alioqui aliorum laudator, diſertiſſimum martyrem vocat, quique primus aduerſus Porphyrium decem millia verſuum ſcripſit, ne meminerit quidem ; fortè quia ſcriptis Origenis, cuius erat ſtudioſiſſimus Euſebius, minùs fauebat, vt vel in odij cauſa hominis ingenium poſſis agnoſcere : quanquam igitur Euſebius Pamphili nobis vſquequaque non probetur ; meliorum tamen inopiâ eum legendum eſſe exiſtimamus ; in primis cùm fragmenta deſcripſerit ex varijs authoribus, qui temporum calamitate perierunt, quóſque alibi fruſtra quæſieris.

Quòd ſi quis ab hiſtoria Euſebij ideo reſiliat, quòd nón ſit illa omnibus partibus & gradibus abſoluta, næ ille planè debet iſti ſtudiorum noſtrorum parti æternùm valedicere : hæc enim eſt ſingularis

Digitized by Google

Christianorum infelicitas, quòd cùm nulla gens sit, quæ rerum suarum scriptores quibus tutò credatur, non habeat; historicum veterem Christiani nullum habeant, qui hæreticus non fuerit, aut erroris suspectus, aut si fortè purus erroris, in quo certè prudens lector non aliquid desideret.

At enimuerò eas molestias Viri sapientes æquo animo deuorabunt, quando ijs magnum paratum esse pretium intelligent, neque aliam patere viam, quâ ad accuratam hodiernarum controuersiarum cognitionem perueniant: *nam*, vt Viri Magni verba hîc transcribam, *accurata cognitio omnium hæreseων quæ ad hanc diem emerserunt, suntque à pijs hominibus damnatæ, ad veram pietatem sartam tectam tuendam, mirum quantum profutura est: sæpe enim, & nostrâ quoque memoriâ obseruo euenisse, vt ignoratione eius partis Ecclesiasticæ historiæ, homines minimè mali, in eiusmodi sententias, aut formulas* [illegible]*quendi incogitanter inciderent, quas defendere sine erroris contagione non possunt.* Quod Viri κεπκωτάτε iu-

dicium si verum est, vt verissimum esse nos aliàs commonstrabimus, qui historiam Ecclesiasticam diligenter tractabit, eâdem operâ & cognitione earum rerum locupletabit animum, quas ignorare Theologo turpe est; & se ad controuersiarum intelligentiam parabit, quibus nos annum sequentem destinamus.

Felices vos verò, Auditores, si modò bona vestra noritis, qui Virum Clarissimum, & mihi iuxtà ac vobis reuerendum, hac in parte ducem & magistrum nacti estis! Memini enim me, vt de me aliquid dicam, cùm in ijs subsellijs, in quibus vos iam sedetis, sederem auditor, intra horulæ spatium in hocce Auditorio hos fructus legere, quos per totum diem domi, ex proprio fundo vix colligere potuissem; poteram itaque totum istud, nullâ vestra jacturâ, facilè prætermittere, neq; enim hîc nobis consultoribus indigetis; at ne tamen nihil dixisse videar, meam sententiam breuissimè declarabo.

Primum omnium hoc Studiosis sedulò cauendum existimamus, ne quis Aduersariorum argumenta aliunde quàm ex ip-

Digitized by Google

sis fontibus petat : non quod nostrorum hominum mihi sit suspecta fides, aut dubitata diligentia, quos & diligentissimos & fidelissimos fuisse nemo potest ignorare: sed simpliciter hoc affirmo, nullum esse hominem natum qui alterius mentem, ita exactè & definitè repræsentet; quin aliquid paruum magnum, certè aliquid ex illius vi & pondere deteratur, & dum Bellarminum eneruat, ipsum eneruet Bellarmini sensum ; siquidem vox transposita, omissa particula, cuius vsum refutator ignorat, solus intelligit qui adscripsit, mirum quantum Aduersarij mentem deprauet ; vt ferè hîc locum habeat illud Pauli : *quis hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso.*

Verùm hic mihi videor videre ex vestro grege mirantes quosdam, quasi tyronum imbecillitati non satis consulam, quos in immensum illud controuersiarum illud pelagus mitto : quotus enim quisque est, quem ab eo proposito non deterreat vel adspecta tantùm librorum Bellarmini moles, & præter Bellarminum

Digitized by Google

alij sunt, quorum lectionem aspernari non oporteat: at ego dico totam illam quam isti sibi fingunt difficultatem, nihil aliud esse quàm inane μορμολυκεῖον, quo inconsulta iuuentus ab vrgendo proposito auocetur; paulò propiùs enim rem inspice, & istud quidquid est vani terroris, statim euanescet.

Nam in Bellarmini libris (ex Bellarmino autem de cæteris fieri debet iudicium) quàm plurima sunt, quæ in Anabaptistarum delirijs & Ministrorum Transyluanorum erroribus refutandis insumuntur: atqui illa nos non minùs quàm Ecclesia Romana detestamur; illud igitur totum Studiosus in præsentia prætermittet, vt quæ ad suum institutum minimè faciant: ex ijs quæ contra nos destinata sunt, alia ex authoritate Patrum, alia ex ratione, denique quædam alia ex Scriptura depromuntur: & primum quidem illud argumentorum genus in aliud tempus tyroni necessariò differendum est: nam qui ad argumenta huius notæ respondere instituat, neque codices habeat ob oculos, ex quibus illa prompta sunt, tantúmne? Immò

Immò cui eorum authorum ingenium ex præcedente lectione perſpectum non fuerit, planè operam abuitur; vt me planè eorum miſereat, qui poſtquam ea triuerunt quæ hodierni tractatores in ſuis libris citant, ſibi Antiquitatis notitiam taciti, ſed ſoli gratulantur: ſuperſunt itaq; argumenta quę vel Ratio, vel Scriptura ſuppeditat: & priora quidem illa hominem, qui ſit tantiſper ingenioſus non morantur; nam quæ peruerſa ratio inuenit, recta profligat & conuellit; vt ea ſemel legiſſe ſufficiat: Cętera quæ ex Scriptura extorquentur, ex ea quæ anteceſſiſſe ſupponitur, Scripturæ lectione ſoluuntur. Quod itaque ſupereſt, vt videtis, ad pauca capita redigitur, quæ vtinam Vir doctiſſimus, qui nobis *Chamierum contractum* dedit; iuxta hanc methodum, ad compendium contuliſſet; haud paulò enim meliùs ſuam poſuiſſet operam, & ſibi Studioſos multò magis deuinxiſſet.

Maneat itaque illud, rectè atque ordine Studioſos facere, qui ad ipſos fontes, hoc eſt, Aduerſariorum libros adeant, ne ijs noſtrorum hominum authoritas imponat,

Verùm præter illud, quod in eo negotio facilè primarium est, quatuor sunt de quibus tyrones commonendos existimamus. Primum hoc est, vt nec Bellarminum, nec Perronium, nec vllum alium harum partium doctorem vnquam legant; antequam Concilij Tridentini sessionem, in qua sententia Ecclesiæ Romanæ decreto irreuocabili sancita & fixa est, sedulò consuluerint: quippe disputatores hodiernos, siue ex Romana formula Catholici, siue Reformati (ô quando illa distinctionis nomina cessabunt, & vnus erit grex, vnum ouile!) illi sint, sæpe toti Ecclesiæ tribuere, quod est hominis singularis proprium dogma, parum pudens sit qui neget: illud enim est, quod & nos quotidie experimur, qui nondum generi humano, nec viuâ voce, nec scriptis persuadere quiuimus, non esse scholæ Reformatæ, quæ fuit Viri docti de prædestinatione & iustitia imputata sententiam: & experiuntur Latini, quibus sæpe (fatendum est enim) Thomæ Aquinatis, Cajetani, Bellarmini & Iesuitarum authoritas fraudi fuit.

Quænam autem fuerit (ut in viam nunc reuertar) Patrum Tridentinorum mens atque sententia, vnde meliùs discas, quàm ex Catechismo, qui iussu Pij V. P. R. iuxta decretum ipsius Concilij Tridentini editus est; & ex Paulo Veneto Seruita, qui Concilij huius historiam labore indefatigabili, iudicio incredibili & summa fidelitate conscripsit? Nam qui eum librum nuper refutare aggressus est, ne quæso ægrè ferat, si monachi pauperculi pannos illius purpuræ præferimus. Eum itaque vobis de meliore nota commendamus, & etiam in posterum sæpe commendabimus; siquidem is solus, vel certè in paucis est, qui iudicio acerrimo præditus, & in rebus publicis gerendis versatus (quod ad dijudicandas perfectè quæstiones, de quibus nobis cum Ecclesia Romana lis est, penè necessarium putamus) ad veros controuersiarum fontes deduxerit.

Tertium est, vt in omni controuersia hoc primum quærat, in quo sit arx causæ posita & capitalis nodus: nam vt in omni errore est πρῶτον ψεῦδος, quod cætera ex

se dedit; ita in omni vera doctrina est πρώτη ἀλήθεια, quam qui inuenerit, se viarum compendia inuenisse meritò glorietur: sic in quæstione de Sacramentis, (rem enim duobus tribúsve exemplis illustrare non abs re erit) prima veritas hæc est, non quæri, *quot sint in nouo fœdere Sacramenta; sed quot sint fœderis noui Sacramenta, siue manus sigilla, quibus debeant omnes obsignari, qui in fœdus illud iurant*: in quæstione de Transubstantiatione, prima veritas hæc est, *Christum sicut Eucharistiam in locum agni Paschalis subrogauit, ita etiam hæc verba*, hoc est corpus meum, *in istorum substituisse locum*, hic est panis afflictionis; *quæ ideo claritatis causâ eodem sensu accipi debeant, quo priora illa Iudæi, immò inter Iudæos, cerdones ipsi & infima plebecula, sine interprete facilè intelligebant.* In doctrina de Baptismo, prima veritas hæc est, *Iesum C. pauculis quibusdam mutatis, Baptismum suum in locum Baptismi Iudæorum, quo solebant illi proselytos suos iustitiæ consecrare, subrogasse*: in quæstione de iustificatione per fidem, prima ve-

ritas hæc est, *Paulum sibi hanc thesin Iudaorum sumpsisse destruendam, iustificari eum à Deo, cuius plura bona opera fuerint, quàm mala; contrà damnari eum, cuius plura mala opera fuerint, quàm bona*: in serie illa quæstionum de Fidei causa efficiente, de perseuerantia Sanctorum, de absoluto Electionis & Reprobationis decreto, de peccato Originali & de libero arbitrio in statu corruptionis, primitiua quæstio & quæ cæterarum est caput, illa est, quam vltimo loco recensuimus, de libero arbitrio in statu corruptionis; prout enim quis bene, vel secus de libero arbitrio sentit, ita eum de cæteris, quæ in ea complexione continentur, si modò sibi constet, benè vel secus sentire par est: porrò in illa quæstione de libero arbitrio prima veritas hæc est, *nos in omni statu habere liberum arbitrium, & impropriè loqui qui aliter loquantur: at libero arbitrio in statu innocentiæ hominem vti ad bonum morale, quòd bonum morale sibi conducere anima iudicet: post peccatum eodem vti ad malum, quòd anima non nouerit ea qua sunt Dei, nec ea sibi expedire*

arbitretur: ubi verò anima, inter bonum malúmve fluctuat paribus rationum momentis, nec ei dum satis liquet, utrum potissimùm rationibus suis conducat, liberum arbitrium in bono & malo indifferenter versari, pessimè itaque facere, qui essentiam liberi arbitrij in indifferentia positam putant; cùm indifferentiam ex accidenti ab ignorantia proficisci tam clarè intelligamus, quàm his duo esse quatuor.

Quartum quod notamus illi ferè simile est, quod nos in lectione Scripturarum requirere meminimus, vt ne quis nostrorum Hominum responsiones ad argumenta Aduersariorum priùs consulat, quàm sua scrinia excusserit, & sedulò viderit, an is sit qui ex proprio penu quid bonæ frugis queat promere: nam ita firmabit iudicium, & memoriam subleuabit, quæ alioqui sub tanto onere fatisceret: Quòd si nimiùm curtam supellectilem domi inueniat, tum verò ad *Polemicos* nostrorum Hominum libros adeat, & sibi ea inde potat præsidia, quæ non potuit proprijs opibus parare.

Libros dixi numero plurium, non li-

bruma, certo consilio, quòd vni aut alteri immorari Studiosis conducibile non putemus, contrà quàm de Institutionibus Theologicis nostra ratio fuit: quin potiùs plures consulendos existimamus, vsque dum in objectionis quæ animum pupugit, solutione acquiescas: libri enim Polemici & Commentarij non alio ferè apud nos habentur loco, quàm glossaria & dictionaria, quæ quanquam Studiosis omnino necessaria sint, nemo tamen vno tenore vnquam legerit.

Atque hic triennij labor erit. Annos proximè sequentes vestigijs relegendis destinamus; eâdem enim viâ tyronem incedere oportebit, nisi quòd majora ei erunt & difficiliora molienda: ferè quomodo pictor, postquam imaginem leuiter in tabella adumbrauit, noua lineamenta non inducit, sed quæ rudi penicillo tetigerat, omnibus suis coloribus describit: vel, si quis aliam sibi ideam dari velit, quomodo Natura quum infantis corpus ad maturitatem adducit, noua non fingit membra, sed si quæ nondum satis compacta & firma erant, infráque iustam ma-

gnitudinem subſtiterant, ijs addito alimento robur & molem facit: ita planè Studioſus Theologiæ, qui ante tres annos, ſtudiorum ſuorum magnum ſanè & difficile opus, methodi præſcriptæ auſpicio & ductu exorſus eſt, ſi tenuiora illa pertæſus, ad majora aggredi inſtituat, non ideo tamen nouam ſibi ſtatim methodum cudet, quin idem ſequens filum, operi inchoato grandiora & ſubtiliora ſubtexet, vſque dum totum & integrum pertexat.

Ita pro eo quòd nuda & ſimplici Inſtitutione Theologica contentus fuit, poterit iam tutò varios variorum locos communes & tractatus Theologicos lectitare, eos autem in primis qui in ea, in qua viuit Academia maximè celebrantur, vt, quoad quidem fieri poterit Magiſtrorum ingenio obſecundet: hîc Theſes Theologicæ, quas Ludouicus Cappellus, Moſes Amyraldus & Ioſue Placæus varijs temporibus ediderunt, plurimùm leguntur, optimo ſanè conſilio; hæc enim erat Virorum Clariſſimorum propria præſtantia, quod in vniuerſa Theologia cùm ſimul ſubactiſſimi eſſent, vna tamen pars eſſet

Digitized by Google

in qua singuli eximiè excellerent: nescio autem quî factum fuerit, vt ea, cui quisque maximè idoneus erat, tractandis thesibus materia obtigerit: Vobis itaque & hunc librum, & in vniuersum omnes qui Virorum præstantissimorum nomen præferunt, etiam atque etiam commendamus.

Eusebio succedent Veteres omnes Historici, quo quisque scripsit ordine: Centuriatores enim Magdeburgenses & Cæsar Baronius, ac in genere omnes, quos post exortas in negotio religionis hodiernas lites, possis suspicari causæ suæ seruijsse, non nisi maturo iudicio legendi sunt, cùm Viris alioqui non malis affectus & thesis defendendæ studium sape imponant. Nos profectò de Cæsare Baronio ita iudicamus, nihil periculosiùs fieri, quàm si eius lectione iuuentus tenera & cerea flecti in errorem imbuatur: ille enim sub historicę narrationis simplicitate, à qua nemo sibi metuit, easdem illas opiniones propinat, quas Bellarminus, Stapletonus & alij nudè & apertè obtrudunt, vti id est ab Isaaco Casaubono responsione ad annales B.

Digitized by Google

pluribus locis optimè obseruatum.

Robertum Bellarminum Cardinalem sequetur in examinandis controuersijs Iacobus Dauy Perronius item Cardinalis, Vir viuidi ingenij & in [illegible] comparatis tritus, quique si quis alius posset, causam, quamcunque defendendam suscepisset, nouis coloribus pigmentare. Perronium ex illis partibus sequentur omnes quorum maxima est apud suos fama: controuersiarum enim Scriptores non ex nostrorum Theologorum iudicio, sed ex ipsa Aduersariorum opinione oportet æstimare. Ijs porrò quinam ex Nostris opponi debeant, in tanta Virorum doctissimorum multitudine dicere nihil attinet.

Ad Scripturam non iam amplius Scholiastas tantùm, sed & iustos Commentatores, aut qui quoquo modo Scripturas egregiè illustrarunt, quando aliquod operæ pretium erit, diligenter adhibebit: cuiusmodi ferè sunt Iohannes Caluinus, Petrus Martyr, Paulus Fagius, Andreas Masius, Iohannes Mercerus, Theodorus Beza, Iohannes Drusius, Iohannes Petrus,

Digitized by Google

Simeon de Muys, Iohannes Camerd, Iohannes Maldonatus, Ludouicus de Dieu, Samuel Bocharus, Ludouicus Cappellus, Petrus Launæus, quorum nomina, prout quodque primum animo occurrit, conieci in aceruum, cùm plurimi alioqui sint, quos forte optimum fuerit pro re nata consultare: quomodo enim hominis literati glossarijs, ita nec Theologi bibliotheca commentarijs qui sensum Scripturarum grammaticè declarant, nimis instructa vnquam fuerit.

Ad Antiquitatem Iudaicam multùm iuuabit praeter laudatos à nobis superiùs Scriptores, dissertationes videre quas de eo argumento Buxtorfius vterque, Hottingerus & alij operosè conscripserunt; Iohannem Seldenum de iure Ebræorum styli durioris, sed laboriosæ diligentiæ virum; Philonem Iudæum ex omnibus Iudæorum simul & Platonicorum vitijs virtutibusque temperatum authorem; item ex Mosis Maimonidis & Isaaci Abarbonel tractatibus & libris commentarijs, quæcunque Iohannes Buxtorfius, Edmundus Pocockius, Guilielmus Vorstius &c.

Latinitate donarunt : duo enim illi Magistri (Moses præsertim, qui omnes longo post se reliquit interuallo) vbi eos religionis Christianæ odium, vel suæ amor non excæcat, in sensu literali expiscando perspicacissimi sunt.

Tabulis suis Geographicis & Chronologicis adjunget ampliores tractatus : in Geographicis quidem Christianum Adrichomium : in Chronologicis Sethum Caluisium qui iuxta Scaligeranam methodum libros suos digessit : vel, si Caluisium voluere per otium minùs licet, qui Caluisij vestigia pressit Christophorum Heluicum, simul & Ludouicum Cappellum qui Chronologiam sacram breui libro complexus est : istos enim qui per breues tabulas rem proponunt, malim pro occasione adhiberi, quàm qui historiarum synopses ad calculum Chronologicum exegerunt.

Atque hæc ita summatim dicta sufficiant, neque enim hoc nunc agimus, vt qui in quaque classe authores maximè excellunt, calculis subductis, nominatim omnes recensеamus : illud enim est quod

Digitized by Google

neque, si etiam maximè velim, possim pro rei dignitate præstare, cùm ea opera virum requirat, qui in omnium Scriptorum quà bonorum, quà malorum lectione consenuerit: neque verò si possim, velim tamen, ne ea nimia diligentia Studiosos consilij inopes faceret, dum in tanta copia quem potissimùm eligant, apud animum suum constituere satis non possunt. Vt hic iam non dicam multos esse, etiam celebratissimos, à quibus Studiosis omnino abstinendum existimamus, tum quia eorum ingenio parum videntur accommodati, tum quia parum tuti: quotus enim est, vt exemplis rem declarem, qui Desyderio Erasmo & Hugoni Grotio rerum scientiâ & iudicandi prudentiâ præferri mereatur? At qui eorum libros in manus sumpserit, sciat se incedere super ignes suppositos cineri doloso: & præterea alij sunt, quorum vel nomina Auditoribus nostris studiosè occultamus; ne curiositas, innatum generi humano malum, discentium profectibus officiat & omnes nostræ methodi rationes conturbet.

Duo sunt duntaxat, in quibus à me-

Digitized by Google

thodo instituta paululum deflectet; primò, quòd Scripturam non amplius dissipare, facilioris intelligentiæ obsequutus, sed totam, & eo quidem ordine qui rerum naturæ maximè conueniat, vno tenore perleget.

Secundò, quod Scriptores Scholasticos & Veteres Patres, quos nullos dum legit, versare tum primùm incipiet: & ex Scholasticis quidem Petrum Lombardum & Thomam Aquinatem, quorum alter theologiæ Scholasticæ apud Latinos primus author est, alter, mirè in hoc genere sagacitatis, consummator. Ex Patribus Veteris Ecclesiæ, eos primùm qui ad tempora Apostolorum propius spectant, potissimùm qui pro fide Christiana aduersus Gentiles & Iudæos apologias ediderunt: non quidem vt plenam Antiquitatis Ecclesiasticæ notitiam animo informet, quod nec ætatis nec studiorum ratio ferat; sed vt quid Viri Sanctissimi in illa ætate Apostolici proximitate de religione Christiana senserint, paulatim discat: planè enim aliquid inueniet, quod ego dicere hîc nolim, ipse adhibitâ attentione facilè deprehendet.

Verum enim cum qui in regionem patria valde remotam cogitant, eorum vt plurimum consilio vtantur, quibus illa longo vsu perspecta est, vt quodnam sit tenendum iter, quive scopuli fugiendi, prius animo præcipiant, quam se dent in viam; cuinam tu potius credas quam Iohanni Dallæo Viro Magno, qui cum omnes artis nostræ partes ita illustrarit, vt id vnum in tota vita egisse videatur, totam præterea Antiquitatem incredibili felicitate perlustrauit? Iubemus itaque vos quos vnquam conscripsit libros, curiosè omnes conquirere, at duos præcipuè, qui sunt præsentis instituti, sedulò versare, quorum alterum *de vsu Patrum*, alterum *de cultus religiosi obiecto aduersus Latinorum traditionem* nuncupauit: ille enim quid vtilitatis ex Patribus possitis sperare; hic quid sit Patres cum iudicio legere, vsu ipso & praxi demonstrabit.

Vnum hic vereor, ne quia Studiosi sibi eorum authorum tantum qui ad Theologiam spectant, catalogum texi vident, sibi eo ipso [illegible] lectionem interdici

existiment: cùm contrà firma hæc animo ſtet ſententia, Diſciplinam noſtram ab eo ſqualore in quo nunc jacet, ad priſtinum ſplendorem nullâ breuiori viâ reuocari poſſe, quàm ſi Theologorum ſtudia exoticorum authorum lectione diffindantur, cùm enim *omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habeant quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quâdam inter ſe contineantur*, illa eſt Theologiæ ſupra cæteras diſciplinas propria dignitas, quòd in illo diſciplinarum choro, tanquam Regina emineat, cuique proinde aliæ famulari teneantur.

Et ſanè cùm duo libri Theologo proponantur, Mundus, hoc eſt, τὸ Πᾶν, & Scriptura; vt Gentiles in poſteriori iſto nihil vidiſſe, libenter agnoſco; ita, quin in altero illo, Deo per Spiritum prouidentiæ procurante, perſpicaciores aliquando fuerint, nemo opinor negauerit, niſi qui eos penitus ignoret. Nos ſanè, cùm à Scriptoribus S. diſceſſimus, neminem inuenimus, qui nefandam illam Democriti, Hippocratis, Anaxagoræ & Epicuri doctrinam de vſu fortuito partium

meliùs

melius refellat, quàm Claudius Galenus: aut qui totam Epicuri rationem validius conuellat, quàm Marcus Tullius libris *de natura Deorum*: aut qui sublimiorem virtutis ideam describat, quàm Seneca & Epictetus. Vt hîc omittam res Iudæorum ab eo sciri perfectè non posse, qui de rebus Assyriorum, Persarum, Græcorum & Romanorum nihil vnquam audiuerit: Iudæorum leges de sacrificijs & alijs huiusmodi, ex aliarum gentium legibus & institutis illustrari; cùm id Deus lege Mosaïca instituisse videatur, vt Israëlitas à cæteris gentibus quàm fieri poterat longissimè disterminaret, ijs duntaxat retentis, quæ ius gentium & recta ratio retineri necessariò postulabant.

Atque illud est quod optimè intellexit Origenes, ille enim (referente Eusebio lib. VI. cap. XVIII. ex versione Henrici Valesij, quæ omnium accuratissima & elegantissima est) ita discipulos suos instituebat, vt ijs præter rerum diuinarum scientiam, Græcanicæ quoque Philosophiæ præcepta traderet. *Quoscunque enim ex discipulis solertiâ & acumine*

Digitized by Google

ingenij præditos animaduerterat, eos in Philosophiam introducebat, Geometriam illis tradens & Arithmeticam aliásque prauias disciplinas: inde ad varias Philosophorum sectas eos perducens, & libros à veteribus Philosophis conscriptos exponens: commentarios quoque in singulos scribens, & reconditos sensus penitus inquirens: adeò vt apud ipsos etiam Gentiles summus Philosophus pronuntiaretur. Ex rudioribus verò atque hebetioris ingenij discipulis, multos ad humaniorum artium studia cohortabatur: asserens non mediocrem illos facultatem ex huiusmodi studijs percepturos esse ad sacrarum Scripturarum intelligentiam.

Enimverò quandoquidem Philosophiæ & Humaniorum artium injecta mentio est, rem vobis non ingratam nos facturos existimamus, si hîc breuiter quæramus, vtra pars ad vsum Theologiæ magis faciat, & si alterutra carendum sit, vtrâ leuiori damno studia nostra carere posse videantur. Varij variè ad quæstionem positam respondent: nos adhibitâ distinctione respondendum putamus. Nempe vt

res nunc sunt, postquam scilicet Theologiam Scholastici deformarunt, illa duo ad Disciplinæ nostræ subsidium pari ferè passu vnà concurrere: nam vt de Physica nihil dicam, quæ à motu ad primum motorem, à creatura ad creatorem vsque assurgit; qui in factitijs nomenclaturis & captionibus extricandis exercitatus non erit, ille triobolaris Dialectici insidijs patebit, & ab ijs (quorum propè infinitus est numerus) facilè contemnetur, qui, vt habet alicubi Gregorius Nazianzenus, τεχνολογῶσι verius quàm θεολογῶσι: at vicissim qui in tota vita nihil aliud egerit, quàm istas minutias captare, neque quas humaniores vocant, literas vnquam excoluerit, eum in germana Verbi Dei explicatione peregrinum esse oportebit.

Verùm dicimus secundò, (quæ est altera nostræ distinctionis pars) si res restituatur in integrum, & sua Theologiæ pristina asseratur majestas, literas humaniores vel solas, vel propè solas hîc regnare. Neque verò magna ad nostram sententiam comprobandam circuitione opus est: nobis enim optimus Theologus ille dicitur,

qui librum Scripturarum optimè intelligit : est autem ille liber Hebraïcè & Græcè de rebus innumeris & toto genere à Philosophia diuersis, ab ijs hominibus conscriptus, qui Græcorum Philosophiam contemnebant, & contemnere in magna ponebant laude : eos itaque libros omnium optimè intelliget, qui Hebraïcè & Græcè nouerit optimè, & cui de cætero alia aderunt προπαιδεύματα, quæ superiùs fusè commemorauimus.

Quo verò fato factum fuerit, vt Theologia, quæ citra omnem exceptionem Philosophiæ est domina, ancillæ ludibrium fuerit, & quas ei leges pro sua authoritate ponere debebat, ab ea acceperit, solus nouit qui id permisit Deus, fortè vt genus humanum vlciscereturr, cui humana sapientia huius mundi semper plus sapuit, quàm diuina : certè rem ita esse vt dico, neque iniquam esse nostram querelam, fatebuntur omnes, qui superiorum retrò sæculorum memoriam cogitatione replicabunt : nam quia fides Christiana tum primùm cepit emergere & orbem terrarum illustrare, quando Platonis Phi-

Digitized by Google

losophia obtinebat; illis enim temporibus florebant Ammonius, Plotinus, Longinus, Amelius, Theodorus, Iamblichus, Porphyrius, & qui deinceps sequuti sunt eiusdem sectæ, non eiusdem authoritatis homines, Syrianus, Proclus, Marinus, Isidorus, Damascius; hinc factum vt qui se ad religionem Christianam illis temporibus adjungebant, Platonicam doctrinam (vt Porphyrius de Origene notauit, teste Eusebio) religioni Christianæ ἐμβαλλόμενοι, puram & natiuam Christianismi speciem πολυλογίᾳ καὶ ἀλλοτρίων δοξασμάτων εἰσφορᾷ obruerent: atque ea res nobis vanas & ineptas allegorias inanesque meteorismos dedit. Nam illorum hominum furores, qui ex Pythagoræ Platonisque schola emanationes diuinas, earúmque syzygias & pleromata, quæsitis rerum insociabilium conciliaturis, in religionem Christianam importabant, animus horret meminisse & commemorare lingua refugit.

Platoni Aristoteles successit, qui postquam ex Arabum manibus, vbi detinebatur quasi captiuus, tandem exijt, iterum

fatali quâdam felicitate Platonis Philoſophiam obſcurauit: ibi Theologia captiua veriùs quàm transfuga, in victoris caſtra tranſijt; & vt ſolent captiui eorum qui vicerunt veſtes & linguam imitari, ita illa ſibi Ariſtotelis, quid Ariſtotelis dico? Interpretum Ariſtotelis debui dicere, linguam & habitum aptauit. Ea res in Theologiam λογομαχίας inuexit & inſanabile diſputandi cacoëthes.

Poſt illa exortus eſt Petrus Ramus Vir ἰδιώτης & non admodum doctus; & ecce tibi, præſertim in Germania, Theologos Ramiſtas, qui quia Magiſter Ramus διχοτομίας amabat, nihil actum putent, nî omnia minima maxima in duas partes ſecent. Nunc Renati Carteſij Viri Maximi ſecta maximè celebratur, qui Ariſtoteleorum λογομαχίας, id enim cauſatur, pertæſus, audaci facinore nouam & ipſe rationem inuenit, quam certiſſimum veri canonem quidam putant; quod nos vt non affirmamus; ita etiam nec negamus; hoc tantùm (quod noſtri eſt inſtituti) querimur, ſeſe Diſciplinam noſtram rebus Renati Carteſij ſtatim admiſcuiſſe, &

Digitized by Google

ſuam methodum multis locis ad Carteſianam inflexiſſe; nam nec Theologia ea erat, quæ Carteſij methodo indigere videretur; & ſi quid video (vtinam verò ſim vanus vates;) ea ſecta, ſi ſemel in Theologiam admittatur, non ſuâ quidem, ſed hominum, qui rebus alioqui optimis abutuntur, culpâ, temporis decurſu, majus quoddam malum apportabit, quod ne malè videar ominari, nunc tacebo.

Quod ſi quis veſtrûm hîc à me quæſierit, quid igitur conſilij in hac diſciplinæ noſtræ calamitate ſibi capiendum exiſtimem? pro me Comicus reſpondebit, *quæſo quoniam id fieri quod vis non poteſt, velis id quod poſſit*: at ita tamen vt, quod idem prudenter monet, ſi quod fortè cecidit, planè mutari non poteſt, id quà licet & fas eſt, arte corrigas: nam profectò optandum fuiſſet, vt qui poſt Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum tempora, orbæ quaſi Theologię tutores relicti erant, tenuiſſent eam (quidni enim quod de Eloquentia Marcus Tullius habet, ad Theologiam traducam?) ſeptam liberali cuſtodia, & hos ignotos atque

Digitized by Google

impudentes procos repudiassent, tuitique essent vt adultam virginem castè, & ab amatorum impetu prohibuissent: at quandoquidem aliter viri pij sibi agendum existimarunt, quorsum dicere hic nihil attinet, certè, quod viri æqui facilè fatebuntur, ob rationes tam in speciem veras, vt nisi euentus & experientia contrà starent, nemo eorum institutum non esset maximè probaturus; quò nos nostræ disciplinæ fata trahunt retrahúntque sequendum est, ne quæ nobis in rebus nostris prosperis fuit ornamento, ei in suis aduersis defuisse videamur: id modò videndum erit, vt ex grassante contagione quàm minimum detrimenti capiat, & in illa humanæ sapientiæ obscuritate, quàm minimo suo damno commoretur.

Quantam verò (vt ad institutum redeam, à quo me abduxit ea quæ se transuersum injecit disputatio) Studiosi felicitatem futuram putatis, quum illam τὴν ἐπὶ κύκλῳ παιδείαν animo complexus, qui se proficere non credebat, se profeciisse sentiet. *Ingeniorum enim profectus, non secus ac vmbra horologij & frutex crescens,*

minutis constat auctibus & ex intervallo sentitur.

Et profectûs quidem illius suspicio ex hisce illius animo incidet, primò, quod ei Paulus valde placebit.

Secundò, quòd qui oblatas quasque controuersias non aliter tractauerat, quàm si in ijs summa religionis Christianæ verteretur, λογομαχίας internoscere & suum cuique quæstioni pretium facere incipiet, ac verissimum esse subodorabitur, quod Vir Magnus se longo vsu comperisse testatur, *disputatores hodiernos* (quos vir doctissimus præter cæterôs notet, diuinare promptum est) *esse in sola defensione anticipatarum sententiarum quinquertiones ἀμφιδέξιας.*

Tertiò, quod marginales illos asteriscos, de quibus antè egimus, ignorantiæ suæ monitores atque indices percurrens, quorsum illi adscripti fuerint, aut ad quam vocem signandam pertineant, ne conjecturâ quidem assequi ampliùs poterit; quoniam diffusam locis illis caliginem lectio atque meditatio penitus discusserunt, neque vlla illius supersunt am-

Digitized by Google

pliùs veſtigia : in ſinu itaque lætabitur, & ex anteacto tempore de futuro faciens conjecturam, ea iam ſperabit, quæ ante biennium, ne tacitis quidem votis optare auſus fuiſſet.

Quartò, quòd qui ſe circunſpiciebat, ſéque pulchrum & beatum putabat, quoniam in analogijs fœderum & vocibus quibuſdam technicis explicandis abundè loquax erat, & in oppugnandis theſibus ſatis promptus, & in defendendis non incautus; poſtquam Diſciplinæ noſtræ incredibilem majeſtatem, quanquam malignâ adhuc luce, at tamen micantem contemplatus eſt, eum ſui ſtatim pœniteat, & ſua omnia incipiat maximè aſpernari.

Quintò, quòd de aliorum opinione æquiùs iudicare didicerit: ſicut enim qui non vnius tantùm vrbis & regionis incolas, ſed *multorum hominum mores & vrbes vidit*, nihil admodum miratur, nec ſtatim intolerabilia putat, quæ à ciuium ſuorum moribus abhorrere videt: ita qui animum per varios variorum temporum, gentium & ingeniorum authores circun-

Digitized by Google

tulit, illud vtilitatis exinde reportat, primò, quòd generis humani infelicitatem miserari nouerit: deinde, quòd hanc veniam det facilè, & sibi vicissim dari postulet, si in communi illa generis humani infirmitate, in quibusdam, quæ saluâ fide ponuntur, à communi sententia recedatur.

Sextò, quòd quomodo paterfamiliâs, qui mercaturæ causâ peregrè profectus est, nihil vspiam videt elaboratum industriâ, aut naturâ exquisitum, quod vxori non seponat, quam in tanta mulierum multitudine, animo præ cæteris eximiè charam habet: ita iste noster nihil vspiam legat, nihil obseruet, nihil discat paulò exquisitius apud alios authores, quod ad Theologiæ, quæ sese per omnes artes & scientias diffundit, vel vtilitatem, vel ornamentum non statim referat.

Hactenus de his exercitationibus egimus, quæ mutæ sunt, quæque in vmbra musæi remotis arbitris transiguntur: sequuntur publicæ, in quibus Studiosos actores esse & publicum iudicium experiri oportet: illæ autem apud nos in tribus

Digitized by Google

positæ sunt: nam vel συμφοιτητῶν propositiones censent: (propositiones vocamus conciones, quas exercitationis gratiâ Studiosi examinandas proponunt) vel ipsi propositiones publicè habent; vel theses oppugnant propugnantve: & de ijs quidem quæ ad propositiones spectant, singulari dissertatione post ferias Paschales, Deo iuuante, agere decreuimus: de disputandi ratione hoc tantùm breuiter monebo, tria esse ad quæ Studiosi debeant diligenter attendere.

Primum, ne omissis Aduersariorum argumentis, quæ omnium probabilissima esse vero quàm simillimum est; noua ipsi suo marte procudant: nam quod error tot præsidijs fultus, cui tot ponebantur præmia; quem affectus, qui ingeniosissimus est, exstimulabat, non inuenit; quomodo Studiosus in vmbratili illo pugnæ simulachro inueniet? Quòd si vis & tu habere in quo tua sese occupet industria, age Aduersariorum argumentis noua fulcimenta adstrue; quæ illi nudè & simpliciter proponunt, nouâ ratione communito; hæc esto palæstra in qua tuum se

Digitized by Google

acumen exerceat; hæc linea ad quam pugnes; quidquid extra eam exibit, id à te frustra & temerè arcessetur: neque enim id nunc agitur, vt quæ nos ipsi propugnacula construximus, otiosè subruamus; sed vt aduersus armatum & peruicaci contumacia grassantem errorem veritas instruatur.

Secundum, ne sibi partes vnquam sumat, aut ab alio demandatas acceptet, ea Deo affingendi, quæ communis, etiam impiorum, sensus detestatur. Cuiusmodi illa sunt, *Deum non existere*, *Deum esse mendacem*, *non esse sapientem* &c. Quanquam enim disputationis causâ hæc dici satis intelligimus, vt veritas magis ac magis illustretur scilicet, ea sunt tamen, quæ (quocunque tandem nomine culpa prætexatur) nec piæ aures audire, nec pia lingua loqui sine horrore sustineat: *nam si*, vt benè ad eam rem Claudius Peiresk̃ius Senator Aquensis obseruabat, *nullus princeps cordatus sue vir, similia de se, cùm præsertim nihil opus foret, conuenerti non ægre ferret.* Quid Deum sentire existimatis, quum ex summa illa arce, in qua re-

gnat, miseros homunciones; qui nisi ijs panem quotidianum in demensum daret, fame malè perirent, videt eo otio, quod ipse illis fecit; ea lingua, quam plantauit, ad hasce vanas nænias, & vtinam vanas tantùm! miserè abuti.

Tertium, ne argumenta numeret, sed ponderet: nam qui per longas syllogismorum ambages, eò tandem cadit, quò inuadere statim initio oportebat, magno conatu nihil agit, & Auditoribus maximam, inani loquacitate, bene agendi occasionem præcîdit: quippe Theologia & omnes in vniuersum disciplinæ, nulla ratione meliùs, quàm familiari colloquio traduntur. Quod enim quis è suggestu in Auditorum cœtum spargit, vel per Auditorum oscitantiam non audiuntur, vel non intelliguntur audita, & vt intelligantur, vix millesima pars sunt eorum, quæ sibi præcipuè explicari Auditores postularent: atque ita miser ille theatricus doctor (ita enim eum solebat Petrus Gassendus Vir Illustris appellare) quia nullum habuit aduersatorem, sibi & suis Musis tantùm cecinit, auráque strenuè verbera-

uit. Cui si licuisset arcanos Auditorum sensus familiariter perscrutari, & suam sensisset exacui industriam, & Auditorum animos erexisset, & verbo sæpe absoluisset, quod paratâ & cultâ oratione non potest. Neque profectò aliam viam sequutus est Socrates optimus ingeniorum informator; non aliam Plato, Xenophon, Xenocrates &c. qui quam methodū à Magistro Socrate acceperant, ad suos Auditores trāsmiserunt; Quorum profectò nos malimus imitari negligentiam, quàm quorundam obscuram diligentiam: hoc certè mihi videor posse contendere, plus intra sex menses profecturum, qui talem studiorum magistrum nactus fuerit, quàm intra biennium, qui quotidie bis térue Lectorem publicum ex suggestu prælegentem audierit, sed audierit tantùm.

Quò minùs autem quod nobis videtur optimum, ipsi sequamur, duo impediunt: primò, vt verum fatear, aliqua συνωμία, quę vetat ne quod trium literarum tyrannus Mos sanxit, ego, hâc ætate homo, ne quid vltrà dicam, reuellere occipiam: deinde quòd animum aliqua teneat suspi-

Digitized by Google

cio, fore vt si quid tale conarer, Auditores ipsos, quorum commodis seruire nos æquum est; rei nouitas à nobis arceret. Quod itaq; publicè non possumus, quantum quidem licet, domi sequimur, vt de studijs nostris familiariter colloquamur, & nos inuicem non theatrico apparatu, sed Academicâ libertate, otio literario oblectemus.

Hæc ferè sunt quæ de ratione studij Theologici dicenda habebamus: nunc quasi coronidis vice, iuuat de stylo exercendo & de locis obseruationum collectanearum ordinandis, pauca attexere: & ad stylum quidem quod attinet, illud in Studiosis mirum in modum nobis semper displicuit, quòd informandi styli planè incuriosi videantur: atqui liquidò affirmamus majores fructus cum mediocri doctrina eum laturum, qui aliqua styli laude polleat, quàm virum alioqui doctissimum, qui eam partem, vt parum ad se pertinentem contempserit: quàm multos enim appellare hîc possum, ni eorum nomini parcerem, consummatæ & reconditę eruditionis viros, quorum libri blattas & tineas

tineas non aliam ob causam pascunt, quàm quòd majestate Theologiæ indignum putarint, de apta verborum structura laborare; Qui si ad eam rem vel mediocrem adhibuissent operam, & lectores suos tenerent, & quod caput est, ædificationi Ecclesiæ multò efficaciùs inseruirent.

Cæterum quum stylum dico, cauete existimetis à me styli affectata pigmenta & elaboratam elegantiam laudari: nam neque has orationis delicias conquirere otij est Theologici, & vt eas conquirere Theologi maximè possent, rerum tamen quas edisserunt majestati, id minimè conueniret. Hîc statam tantùm & fixam orationis formam quærimus, quam qui sibi longo vsu fecerit, perspicuè & æquabiliter loquatur: qui non habuerit, obscurè & dissolutè dicat: eam autem styli æquabilitatem simul & claritatem facilè acquiret, primò, qui eam orationis formam, quam suæ naturæ maximè congruere intelliget, excolendam sumpserit; vix enim credibile est quàm magna sit pro naturarum diuersitate, styli, qui naturam sequi,

tur diuersitas: deinde, *qui nunquam tam occupatum diem aget, vt non lineam ducendo, artem exerceat*: nam quod de arte sua scitè Apelles dicebat, non minùs aptè stylo conueniat, cuius firmitas & color non tam laborioso conatu, quam continuâ exercitatione comparatur: denique, qui nullum vnquam scriptum, ne epistolium quidem ad familiares, sibi è manibus excidere patietur, in quo accurata aliqua & rei quæ scribitur apta diligentia non seruetur: quibus magnum etiam momentum accedet ex Scriptoris alicuius, qui eundem stylum omnium felicissimè frequentarit, crebra & nunquam penitus abrupta lectione.

De collectaneis disponendis ita iudicamus, nullam posse Studiosis *qui multum, non multa legere debent*, commodiorem methodum proponi, quàm si notabiliora quæque, prout illa sese legenti obijciunt, in vnum librum, quasi per saturam conijciant, adscriptis ad marginem libri, quam ideo paulò oportet esse ampliorem, rerum singularum titulis, qui dein ad indicem alphabeticum relati,

Digitized by Google

quid cuique paginæ inscriptum fuerit; in tempore commonefaciant: accurati enim illi modi quos Andreas Hyperius & Bartholomæus Keckermannus ingeniosè excogitarunt, nostræ iuuentuti, quæ, fortè ex Gentis ingenio, impatiens est & fugiens etiam laboris, minùs opportuni nobis videntur.

Cur autem vos tam sæpe hortemur, vt vobis miscellas eiusmodi ex varis authoribus eclogas describatis, id nos præter cætera mouet, quòd simus sæpissime experti, eum laborem, ex mutatione quietem esse, & præterea memoriam, quam ingraueſcens ætas, vt & cætera omnia, minuit & tandem aufert, magnopere in decursu vitæ adiuuare; ac porrò (quod minimè contemnendum putamus) studiorum profectûs, qui lento pede progreditur, certissimum esse indicium, quum quod tanquam palmarium, aliquot abhinc annis excerpsimus, vt nimis protritum & vulgatum meliorum comparatione propè despicimus. Sed vt diei hora est, ampliùs retinendi non estis.

Digitized by Google

Cætera quæ ad concionandi rationem attinent, à nobis destinatâ operâ, fusè, ὁ Θεὸς aliàs edisserentur.

FINIS.

Digitized by Google

DE NATVRA THEOLOGIÆ.

NATVRA Theologiæ definitione & diuisione continetur; vtramque Thesibus hisce proœmialibus ponere est animus: verùm non abs re fuerit in antecessum quærere, *an alicuius vtilitatis esse possit methodos doctrinæ Christianæ informare?* Neque enim desunt viri omni genere eruditionis excellentes qui satius esse putent à toto illo scriptionis genere abstinere; quippe eâ re fieri vt, dum quisque proprias suas formulas & diuisiones proponit, ita diuersam, prout hominum diuersus est captus & sensus, Theologiam pre-

Digitized by Google

cudat; quæ diuersitas si, crescente in dies scribendi licentiâ, ad plura religionis Christianæ capita extendatur, magnam sectarum & religionum varietatem inducit; vnde, vt à paruis principijs res magnæ sæpè pendent, seditiones & bella quibus Respublicæ pessundantur. Mallent itaque Theologorum industriam in Scriptura sacra enarranda versari, quæ suâ simul simplicitate & majestate eorum hominum temeritatem reprimat & audaciam refrænèt.

Atque hæc est Virorum quorundam doctorum, quos appellare, hîc quidem, nihil attinet, opinio, quam nos partim probamus, partim etiam non probamus: nam concedimus nos sanè quidem totum illud opus esse plenum aleâ, in quô pauci oppidò pauci feliciter versentur; vsque adeò vt si quæ commoda ex plerisque methodis ad religionem Christianam redundarunt, in vnum conferantur; nulla, aut certè contemnenda videri possint, præsertim sunt illa incommoda quæ ea res ex se dedit. At enimverò tamen quoniam id ingenij humani culpâ, non methodi vitio,

Digitized by Google

quam Plato *inuentum Deorum* vocat, putandum est accidisse, non ideo statim omnes methodos aspernamur; pessimè enim cum rebus humanis ageretur, si vt quâque re humanum ingenium abutitur, illa eo ipso prohibita putaretur, cùm ne ipsam quidem Scripturam S. ab humanæ rationis temeraria proteruitate satis tutam sua præstet diuinitas. Certè Origenis vetus scriptum περὶ Ἀρχῶν; Ruffini, siue quicunque alius est libri illius author, enarrationes in Symbolum, nihil aliud sunt quàm institutiones Theologicæ ad methodum redactæ, quas qui damnauerit, Paulum ipsum damnauerit, quem illi videntur, hac quidem in parte, imitari; est enim epistola ad Romanos diuina quædam religionis Christianæ epitoma, diuino quodam artificio contexta & ordinata.

Non itaque res penitus tollenda, sed in melius mutanda est: illud autem facillimè consequetur qui methodos suas Scripturæ ita aptabit, vt à Scripturæ methodo quàm minimùm recedat, neque tam nouam Theologiæ methodum, quàm

Digitized by Google

commentarium Scripturæ in epitomen redactum scribere videatur : nam hoc instituto sequens , simul & Scripturam interpretabitur , & , qui institutionum Theologicarum præcipuus est finis, lectorum memoriam subleuabit. Quod ij satis non videntur attendisse qui diuinam artem nostram minutis Philosophiæ Aristoteleæ legibus & regulis adstrinxerunt. Ego sanè, si quis alius , Aristotelem facio plurimi, do illi vim ingenij incredibilem, scientiam tantam, quanta in vllo vnquam homine vix fuit ; denique si quæ alia ei interpretes tribuunt, non repugno : at si dixero ex quo Philosophia Aristotelea ad nostram disciplinam traducta est, Theologiam multum de sua naturali majestate & pulchritudine amisisse, tum id dixero quod doctissimi quique verum esse agnoscunt & deplorant.

Atque vtinam illi malo tam facilè remedium inuenire possemus , quàm illius causas inuenire facile fuerit. Nam primò noui isti tractatores , Aristotelis lectioni innutriti , cuius libri sunt Philosophici, hoc est, ad vsum virorum doctorum com-

Digitized by Google

parati, in quibus adeò magnam oportet esse tum in stylo, tum in rebus ἀκείβειαν, existimarunt V. & N. Testamentum in eodem versari genere: at scire illi debebant Biblia populares esse libros, non minùs plebi ignaræ quàm eruditis destinatos, in quibus vtique hyperbolæ, prouerbiales formulæ &c. habeant locum; quæ si quis ad accuratam illam Philosophorum diligentiam reducat, omnia conturbabit. Secundò, Illi diuisiones suas Aristoteleas ad doctrinam Christianam quà iure quáue iniuria, etiam cùm eas materia non modò non requirebat, sed omninò respuebat, applicare satagerunt. Ego rem exemplo declarabo: Aristoteles diuidit causas in Materiam, Formam, Efficientem & Finem. Efficientem illi porrò diuidunt in Procatarcticam, Proëgumenam, & Instrumentum. Benè hactenus; at quòd illi diuisiones suas ad omnia in Theologia adhibent, & ineptire aliquando malunt, quàm suum illum numerum causarum non inuenire, id illi suo labore consequuntur, vt pro vna controuersia quæ Christianorum animos distinebat, sex

Digitized by Google

ſeptem pullulaſcant, quarum abſque illis diuiſionibus eſſet, nihil vnquam cuiquam veniſſet in mentem; atque ita velitandi, altercandi, contradicendi, & per eandem lineam ſerram reciprocandi finis nullus eſt.

Tertiò, Cùm Theologia tota ſit cæleſtis diſciplina, vt nos inferiùs oſtendemus, methodus autem diſciplinarum anima ſit & ſpiritus, qui cæleſti doctrinæ Ariſtoteleam, hoc eſt, humanam methodum iungit, vereri debet ne res diſpares iungat & Theologiæ majeſtatem humanâ contaminet inuentione: vt hîc omittam Spiritum S. qui diſciplinæ noſtræ ſolus author eſt, quíque ſolus & dogmatum cæleſtium naturam & ingenij humani indolem perfectè notam habet, eum ordinem ſequutum eſſe in Scriptura, qui & naturæ dogmatum, & ingenij humani indoli quàm aptiſſimè conueniat; Quo minùs itaque Spiritûs ſancti, hoc eſt, Scripturæ methodo, methodum Ariſtotelis præferrent, debebant Theologi tum certo conſilio, tum etiam aliquâ animi religione impediri.

Digitized by Google

Quarta causa cur ab Aristotelis, atque adeò omnium Græcorum methodo recedendum putamus, ab instituto non pendet; sed suum habet in natura fundamentum: nam, quia Iudæorum & Græcorum, atque adeò omnium gentium idem est specie intellectus, idem etiam de ijsdem rebus, si modò illæ benè iudicant, iudicium esse debet: at quia aliud est Græcorum, aliud Iudæorum temperamentum & cælum; quæ duo (temperamentum dico & cælum) imaginatricem facultatem, prout varia sunt, variè etiam mouent; hinc ferè videmus euenire, vt in ijs etiam rebus, in quibus idem est Iudæorum & Græcorum rationis iudicium, aliter soleant Græci, aliter Iudæi φαντάζεσθαι alijs vti figuris, alijs tropis, alio orationis colore. Vtri meliùs quæris? Optimè & hi & illi, at in diuerso tamen genere, prout Iudæorum & Græcorum phantasiam, cuius arctissimam cum corpore connexionem nemo ignorat, variè varium corporis temperamentum mouet.

Illam autem diuersitatem, qualiscunque illa est, naturæ, non educationis vel

Digitized by Google

consuetudinis esse opus, id probat præter cætera, quòd in illis partibus Orientis, vbi literaturæ nulla est cura, nulla styli exercitatio, nulla imitatio, soleant illi tamen (si quæ historicis fides, qui plurima epistolarum fragmenta quibus Orientales nunc vtuntur, in suas relationes transcripserunt) soleant, inquam, illi in rebus describendis easdem ideas, easdem imagines, easdem figuras etiamnum adhibere, quas veteres illi Orientales, quorum libri ad nostras manus peruenerunt. Quorsum verò hæc à nobis dicantur nemo est qui non videat. Nempe Scriptura sacra est Theologorum liber, in quo tota Theologia continetur; eum librum Israëlitæ conscripserunt, Israëlitas illos Spiritus S. afflauit, hactenus vt sese ad eorum ingenium & temperamentum accommodauerit; quare qui eorum hominum phrases & formulas & tropos Romanorum & Græcorum regulis metiatur, idem planè faciat, ac si quis Americanum hominem iubeat vitam ciborum nostrorum lautitijs sustentare, qui quidem in suo genere optimi sunt & laudabilis succi; at America-

norum temperamento minimè conueniunt. Neque verò aliam rationem esse crediderim cur Rabbini, quorum alioqui ineptiæ in prouerbium migrarunt, in Scripturæ interpretatione (si modò ea excipiantur loca in quibus præ stupore & malitia aduersus Christum, *videntes non vident, & intelligentes non intelligunt*) satis felices habeantur, quàm quòd priscorum Israëlitarum proles sunt & phantasiam suam non ad Latinorum & Græcorum, sed solius Scripturæ S. lectionem inflexerunt. Atque hæc de prima quæstione, quam fusiusculè ideò declarauimus, quòd eâ semel constitutâ planior ad cætera nobis aperiatur via. Nunc de definitione Theologiæ videamus.

Theologia est Doctrina Verbo Dei contenta, de mediis quibus Deus vult homines ad salutem æternam peruenire. In qua definitione primò *definiti* nomen, deinde *genus* & *differentiam* examinabimus.

Vox illa, *Theologia*, nusquam reperitur in Scriptura: nam quòd in Apocalypseôs inscriptione Iohannes *Theologus* vocatur; id neque est à Scriptura, cùm ti-

tuli librorum & capitum non ab ipsis authoribus, sed ab ijs adscripti fuerint qui N. Testamentum in partes digesserunt; & aliâ notione dicitur quàm quâ nos Theologum nunc vocamus; ideo enim istud nomen proprio quodam modo Iohanni Euangelistæ tributum volunt, quòd pro eo quòd alij Euangelistæ περὶ οἰκονομίας, id est, de incarnatione & quę incarnationem sequuta est ministeriali functione, ille de Christi diuinitate, quę, vt cum Antiquis dicam, mera est ἡ ἀκρατὴς θεολογία, diuinitus scripsisset, ferè quomodo eundem ob respectum Gregorius Nazianzenus idem retulit nomen. Non est itaque vox illa à Scriptura, at neque, quod mireris, à veteribus Christianis; quos enim nunc Theologos, Antiqui, fortè ex habitûs & vitæ similitudine Philosophos Christianos vt plurimùm vocabant: at angusti esset animi & stolidæ cuiusdam putiditatis in hisce leuiculis ab vsu communi sine necessitate recedere. Eam vocem itaque nos, quanquam & vsui Veteris Ecclesię, & definitioni nostræ parum aptè respondeat, retinemus. Sequitur in nostra definitione genus.

Digitized by Google

Cùm Aristoteles habitus intellectûs diuiserit in quinque vulgò notas species, Theologiam autem habitum esse constet; quærunt ad quem potissimùm nostra disciplina reuocetur. Nos de illa quæstione ita existimamus. Primò, illam esse Theologo parum dignam; ille enim rerum quas tractandas suscepit sublimitate assuetus, ad ieiunas illas quæstiunculas non sine aliqua animi indignatione retrahitur. Secundò, loco alieno hîc proponi; nam qui illam decîdat, antequam Theologiæ dogmata tradiderit, ex quibus de tota re debet fieri iudicium, idem profectò facere videtur, ac si quis non examinatis præmissis, ex quibus pendet conclusio, de conclusione iudicium præceps ferat. Illud enim, Theologiam, Physicam, Logicam & sic de cæteris *artem esse, scientiam, prudentiam, &c.* generalis quædam est conclusio, quæ ex totius disciplinæ cognitione exsurgit. Tertiò, Dico totum istud quod quæritur λογομαχίαν esse meram. Vis tu rem experiri? Dubitabile illud nomen, *ars, scientia, sapientia* aliquantisper sepone, & quænam sit Theologiæ natura

extra hoc nomen, hodiernos istos disputatores interroga, eos videbis de rei summa planè inter se consentire, at in vocibus occupatos, quod fatale est huiusce sæculi malum, inanes sonos fundere.

Denique obseruamus, qui hoc quærunt planè facere præter Aristotelis institutum, quod tamen facere minimè videri volunt; neque enim existimandum est Aristotelem, cùm quinque illas habituum intellectûs species ponit, suæ illius diuisionis rationem in natura inueniisse, vnde postea à *priori* collegerit omnem disciplinam, quæcunque tandem illa futura esset, ad vnum aliquem horum habituum necessariò pertinere; quin contrà existimamus Aristotelem ex *inductione* illum habituum numerum collegisse, vt quia illis quibus scribebat temporibus omnes, quos quidem nouerat, habitus, vel artes erant vel scientiæ, &c. ideo quinque esse habituum species affirmauerit, nouam dubio procul additurus, si de Theologia vel minimum quid potuisset aliquâ conjecturâ diuinare. At si tamen disciplinam nostram ijs diuisionis Aristoteleæ, nimiùm certè

anguſtis

angustis limitibus coërcendi tanta est libido, *sapientiam practicam*, vel, quod malumus, *prudentiam supernaturalem* non malè fortè eam dixeris; quòd verò nos *Doctrinam* vocare simpliciter contenti fuimus, id certo consilio à nobis factum, ne quis nos in ipso statim limine odiosis litibus retardaret, vox enim illa, *Doctrina*, indoctis iuxtà ac doctis nota est.

Vnde iam sequitur Theologiam à nobis inter *practicas* poni: quæ disputatio, quia, vti & superior illa, non in re, sed in voce versatur, poterat illa à nobis nullâ veritatis jacturâ prætermitti; nisi quòd aliquando sub impropriæ vocis larua tetri errores menti obrepunt; quia enim nomina vice rerum adhibentur, hinc fit vt si tu voce vtaris impropria, quam impropriam esse ipse initio agnouisti, illa tamen ideam à re quam agis alienam sensim inducat, & ita mentem, quæ in id semper arrecta esse non potest, vt sibi caueat ab impropriæ vocis fuco, imprudentem deludat: sic qui Theologiam nostram *practicam* esse putat, at ne de vocabuli

gare videatur, quod omnes oderunt paulò cordatiores viri, Theoreticam vocat, ni animum aduersus impropriæ vocis insidias obfirmet, in eum paulatim delabetur errorem, vt eos viros fideles & Christianos esse credat, qui dogmata Theologica theoreticè approbarunt, vtut aliàs illa neque in dictis neque in factis exprimant: nam quòd eum errorem ita nudè & simpliciter propositum omnes pariter detestantur, id nos debet admonere tantò perniciosius esse venenum quod affundit abusus vocum, quantò subrepticiè magis & latenter instillatur, cùm eos ipsos lateat quos maximè infecit & corrupit. Quid hîc velimus ij facilè intelligent qui norunt, vel in vno de *Sensationibus* tractatu, iustum volumen condi posse eorum errorum quos abusus vocum inuexit, & nos id ipsum in doctrina de Sacramentis & de libero arbitrio olim ostendemus.

Theologia itaque nostra & practica est, & ita dici debet. Cùm enim illa, vt & Iurisprudentia, non rationis *discursu*, sed testimonio & authoritate fulciatur; talis

debet illius finis existimari, qualem eum esse voluit qui nobis Theologiam tradidit Deus: at qui Scripturam sine præjudicio perleget, statim intelliget Deum, cùm religionem Christianam instituit, id primum intendisse, vt nobis deuotionis & sanctitatis quàm perfectissimum typum daret: verùm enim quia ad deuotionem & sanctitatem breue est & efficax iter per dogmata, paulò longius per præcepta; neque enim (exempli causâ dico & sexcenta sunt similia) ad Deum adorandum vir pius citiùs adducatur, quàm si ei semel probaueris Deum esse infinitum; ideo dogmata Spiritus S. adjecit, quatenus scilicet & in quantum moribus conducibile erat; cùm itaque parti dogmaticæ, altera illa de moribus, quam *paræneticam* vocant, modum & finem imponat, disciplina nostra tota practica est, aut nihil practicum vnquam erit.

Illud autem nos amplius ex eo confirmamus. Primò, quòd quæ solent de hypostasibus diuinis, de incarnatione, de natura & ordinibus Angelorum, &c. in Scholis disputari, illa quia ad theoriam

vnicè ſpectant, nec lectorem meliorem dimittunt, Scriptura leuiter tangat. Secundò, Quòd in ijs ipſis locis in quibus Apoſtoli doctrinam Chriſtianam ex profeſſo tractarunt, illi ſingulare quodque dogma ad præceptum de ſanctitate quod ex dogmate illo fluit, ita arctè adſtringant, vt ſi τὸ ἦθικὸν à dogmatis diuellatur, tota diſputationis ſtructura, quaſi ſolutâ compage collabaſcat: exemplum dabit epiſtola ad Romanos & altera ad Hebræos ſcripta.

Tertiò, Quòd nobis Deus (qui Theologiæ eſt principale objectum) non qualis eſt in ſe, quod tamen in diſciplina theoretica maximè neceſſarium videtur; Sed qualis eſt erga nos, in Scriptura deſcribatur: nam ſi quæ de Deo Scriptura patefecit, vniuerſa contempleris, illa videbis eâ menſurâ reuelari, quâ doctrinæ de ſanctitate maximè commodum erat; vſque adeò vt quia id requirit ingenij noſtri tarditas, Deo humanos affectus, humana membra Scriptores ſacri tribuant; æternitatem Dei *per id quod eſt ante conditum mundum*; immenſitatem *per id*

Digitized by Google

quod cælum & terram replet, crasso modo describant, de exacta essentiæ diuinæ & attributorum diuinorum cognitione informanda parum omninò solliciti, dum modò eam quam sibi potissimùm proponunt, morum reformationem assequantur. Quare, cùm abrepti in Deum, Deo similes facti, *Deum vti est videbimus*, imperfecta illa *viatorum* cognitio non consummabitur, quod quis fortè existimet, sed, *a.* docente Paulo, *destruetur*, vt noua quædam nouis subnixa principijs ei succrescat, quam si theoreticam vocare tibi lubet, per nos licet; cùm tota nostra praxis in cælis, futura sit æterna & interminabilis majestatis & bonitatis Diuinæ contemplatio. *a.* 1. Cor. 13. 10.

Sed quid opus pluribus? Paulus disciplinam nostram vocat *a.* ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν; *b.* secretissima religionis nostræ arcana, *Mysteria pietatis*; nosse Deum in stylo Scripturæ est Deum amare & colere, non nosse non amare, iuxta illud Prophetæ, a. *an non pater tuus comedit & bibit & fecit iustitiam & iudicium, & tunc bonum ei fuit. Judica-*

nit iudicium pauperis & egeni & tunc bonum ei fuit, nonne hoc est nosse me, dixi Iehoua. Item illud, *b. filij Eli erant filij Belial, nec agnoscebant Iehouam.* In eam planè sententiam Iohannes, *c. qui dicit, noui eum & mandata eius non seruat, is mendax est & veritas non est in eo,* & inferiùs, *d. quisquis diligit, is ex Deo natus est, & nouit eum; qui non diligit, non nouit Deum.* Potuitne Scriptura clariùs dicere Disciplinam nostram esse de genere practicarum? Quod quia multi non intelligunt, alij Philosophiæ suæ principia in Scriptura inuenire se sperant; alij, inter quos eminent Fluddus & *roseæ crucis Fratres*, doctrinæ dicam, vti illi se vocari amant, an vanitatis filij, aurum potabile & lapidem Philosophicum in Scriptura quæritant, quasi Scriptura χέρσος esset. *a.* Epist. ad Tit. 1. v. 1. *b.* 1. Tim. 3. 16. *c.* Ierem. 22. vers. 15. 16. *d.* 2. Sam. 2. vers. 12. *e.* 1. Ioh. 2. vers. 3. 4. & cap. 4. vers. 7. & passim alibi.

Eam partem nos paulò fusiùs prosequuti fuimus, quia in sequentibus norma erit cui totum nostrum syntagma Theologię

Digitized by Google

cõformabo; nam si vera ea sunt quæ proximè superiori Sect. rationibus necessarijs addixisse nos putamus, tum Theologi Christiani prima hæc esse debet cura. Primò, Vt singularis cuiusque dogmatis cum praxi & vitæ regula vinculum & connexionem ostendat; in id omnes suos conatus, omnem conferat industriam; neque priùs conquiescat quàm totam eam partem pro rei dignitate tractauerit; nam si quod sit argumentum in quo verbosa oratio sit condonanda, illud certè est in quo salus Christianorum vertitur. Secundò, Vt cùm plura simul dogmata proponuntur, in ijs stabiliendis diutiùs immoretur, quæ ad mores propiùs spectant; illa leuiùs tangat, quorum cognitio minus ad mores momentum affert. Res exemplo clara fiet. Quæritur primò quænam sit fidei & charitatis natura, Secundò, quem Deus in iustificando homine ad fidem & pietatem respectum habeat? Prior illa quæstio, quia de ijs est quę homo ipse tenetur præstare, multò expressiùs inculcanda, quàm altera illa quæ in ijs versatur, quæ Deus sibi ipsi proprium opus fecit.

Digitized by Google

Quod si fortè inter meditandum tibi aliquod occurrat dogma, quod neque charitatem inflammare, neque pietatem excitare per se valeat, ibi tu alterutrum incunctanter affirmato, aut doctrinam illam falsam esse, aut in Scriptura breuiter & locis pauciſſimis tradi. Innumera sunt id genus quę tu ad superiorem normam, quam nos *regulam auream* solemus vocare, facilè exigas. Nisi quod (vera enim fateri cum summo nostro dolore necesse est) prȩter alia multa mala quę noui Aristotelis Interpretes attulerunt, id non ex minimis vnum est, quod quomodo illi libros Aristotelis commentantur, non qui sunt maximè vtiles & accuratè conscripti, de Animalibus & Ethicis putà, quos fortè ne legunt quidem, sed qui maximè obscuri sunt, & ideo amplam litium segetem subministrant; ita isti eas doctrinas Theologiæ excolant, non quæ maximè ad essentiam salutis pertinent, quę certè faciles sunt & possunt pauculis versibus comprehendi, *cum igenioſa res non ſit eſſe Chriſtianum*; sed quæ, quia sunt maximis ob-

structa difficultatibus, otiosorum meteorismis opportuna sunt. Hactenus de *genere* egimus, sequitur in definitione *differentia*, quę tum ab *objecto*, tum à *fine* petita est. *Objectum* (loquor de objecto *complexo*) est verbum Dei, siue veritates quæ in verbo Dei habentur, *finis* est hominum salus. Nos de *fine* primum agemus, quia à cognitione *finis* pendet cognitio *objecti*.

Duæ sunt omnino disciplinæ quæ sibi ea bona declaranda sumpserunt, in quibus supremę felicitatis *essentia* consistit, Ethica & Theologia: nam ceteræ Physica, Medicina, Logica &c. in ijs occupantur quę sunt felicitatis summæ vel instrumenta, vel ornamenta, putà sanitas, eruditio &c. Priora illa bona quæ ad supremæ felicitatis essentiam pertinent, Aristoteles vocat ὡς κύρια, hęc ὡς ἐμπρακτικά: quantum itaque summum bonum ceteris antistat bonis, tantum hę duæ disciplinæ cæteris antecellunt; *cognitis quippe rerum finibus quid sit & bonorum extremum & malorum, inuenta vitæ via est omniumque officiorum* & disciplinarum

conformatio. At illud inter Ethicam & Theologiam, immane quantum est discrimen, quod bonum cuius possessionē Ethica prosequitur, summum quidem sit, sed in naturę, vt ita dicam, hemisphęrio; nostra verò felicitas, quam Theologia sibi explicandam proponit, sit naturæ supra seipsam quasi eleuatio, hoc est, cumulus bonorum quæ natura, & vt amat loqui Theologia, *caro & sanguis* nec optare poterat ex ignorantia, nec sperare ex propriæ miserię conscientia.

Nam cùm *salutis* duę sint partes, prior liberatio à morte per expiationem peccati, à qua felicitas nostra tota per synecdochen *salus* vocatur; altera, *supercælestis* quędam vita, ad quam per Resurrectionem & per Ascensionem in cęlum, tanquam per gradus peruenitur; priorem illam partem vel homo contemnebat, vel penitus ignorabat: posteriorem adeò non poterat sperare, vt postquam in verbo Dei patefacta est, eam mens satis intelligere, certè comprehendere non possit. Huius tantę felicitatis Petrus contemplatione abreptus & quasi ebrius, dum omnia vno

Digitized by Google

verbo complecti vult, pro ea quæ erat in Petro Veteribus tantopere celebrata, παῤῥησία καὶ θερμότης, planè ἀπολαμβάνειν & nos *naturæ Diuinæ fore participes* pronunciat: tum autem naturę Diuinę plenè participes simus, cùm *in eandem Domini imaginem transformamur, ex gloria in gloriam*, vt non ampliùs simus *caro & sanguis*; sed noua & ineffabilis creatura, *creata secundum Deum in iustitia & sanctitate veritatis*, quæ per æternam sæculorum seriem in summa corporis & animę felicitate perseuerat. Ait alicubi Cicero tantum ea voce σωτὴρ significari apud Græcos, vt id Latino verbo exprimi non possit [cùm tamen non desit altera planè gemina, sed in sacris tantùm vsitata *sospitator*] Qui si de Christianorum salute aliquid audiuisset, hoc, opinor, facilè concessisset, nullam omnino esse vocem, siue illa græca, siue latina sit, quę infra rei dignitatem non subsistat. Ipsi nos, qui illius salutis primitias imis habemus impressas medullis, postquam omnia fecimus vt illius ideam aliquam adumbremus, tanto splendore circunfusi hæremus, & quod vnum

Digitized by Google

ſupereſt, Scripturæ ſimplicitate contenti, illud Paulinum identidem taciti apud nos vſurpamus; *Benedictus Deus Pater Domini noſtri Ieſu, qui nos benedixit omni benedictione ſpirituali, in caleſtibus in Chriſto.* Epiſt. ad Eph. 1. ℣. 4.

Ex ijs quę de natura ſalutis noſtrę diximus, tres concluſiones ſponte fluunt. Prima hæc eſt, rem vtiliſſimam facturum qui ſingulari cuique quæſtioni de dogmate, alteram inſtar appendicis ſtatim ſubjungat, *de neceſſitate dogma illud credendi, quanta ſcilicet illa ſit ad ſalutem?* Nam quandoquidem Theologia eſt doctrina quæ homines docet quibus medijs Deus genus humanum ad ſalutem adducat, proximum eſt vt quæras, quęnam doctrinę capita majorem vel minorem habeant cum ſalute connexionem? Res ſanè difficilis, ſed cujus difficultas incredibili quâdam vtilitate compenſatur: Nam primo te dogmatum fundamentalium (dogmata fundamentalia ea vocamus, ſine quorum cognitione ſalus ſtare non poteſt) à cæteris diſtinctio in praxi, (Diſciplinam autem noſtram eſſe practicam ſuperiùs oſtendi-

Digitized by Google

mus) magnopere adjuuabit: nam sunt sanè quidem omnia religionis Christianæ capita sedulò meditanda, sed verò in primis ea, quibus negatis religio ruit suis conuulsa fundamentis.

Secundò, ea res ad Christianorum concordiam, quam optimi quique Deum assiduis precibus & gemitibus poscunt, munitam viam parabit; quomodo enim pacis iniri queant consilia, antequam illud in genere decernatur, *quid sit dogma fundamentale*, ne intelligi quidem potest. Neque tamen cuiquam ego facilè author fuerim, vt sese huic negotio propriâ authoritate immisceat, est enim, si quod aliud, calumniæ obnoxium & in quo ferè necesse sit iniqua hominum iudicia experiri. dum te alij tanquam profanum & laxioris conscientiæ hominem, alij tanquam superstitiosum traducent. Totum itaque illud opus (Philippi Melanchonis hoc iudicium fuit) Synodi generalis proprium esse debet; quæ si nihil aliud, hoc certè suâ decisione assequetur, quòd *Qualificatorum* quorundam reprimet audaciam, qui quæ propositio sit *irreuéren-*

tialis, quæ *scandalosa, quæ hæretica*; quæ exitialis, quæ tolerabilis apud Deum tam audacter definiunt, quàm si eos Deus in consilij sui arcana admisisset.

Secunda conclusio, quam ex superiori colligimus, hæc est, vt in ijs tradendis quæ Ethica naturalis cum supernaturali Ethica, hoc est, cum Theologia habet communia, magna sit in modo ea considerandi diuersitas. Nam, quia vtraque disciplina in summo hominis bono declarando versatur, vtramque de virtute agere planè necesse est, vbi enim non est virtus, ibi non modò summa, sed ne omninò quidem felicitas esse potest; at quia felicitas Christiana tota supernaturalis est, Ethica naturalis, ad naturalem autem & supernaturalem felicitatem eâdem viâ peruenirì non potest, hinc fit vt quam quam virtutes Christianæ (Christianas virtutes in genere hîc voco, quæ rationibus Euangelicis tanquam basi incumbunt) cum virtutibus moralibus in vniuersali virtutis definitione conueniant, inter se tamen multifariam distinguantur: nam primò virtutes Christianæ in præceptis, vita &

morte Christi fundantur, quæ tria sanctitatis Christianæ regula sunt & absolutissimum exemplar. Secundò, inter Christianas Virtutes eę facilè primas tenent, non quæ societati maximè prosunt, vel máximè oculos hominum aduertunt, sed quibus Iesum Christum maximè imitamur; sic in Ethica Christiana virtutes *cardinales* sunt patientia, benignitas &c. quia seipse ab ijs Christus potissimùm commendauit, in primis verò virtutum Christianarum regina Humilitas quâ quis *a. alios alium se præstantiorem existimat*; cuius obscuri adeò extant characteres in natura, vt ne nomen quidem ei dare Philosophi dignati sint, vox enim illa *humilitas*, & altera græca ταπεινοφροσύνη, sunt, eo quidem significatu, barbaræ. Hæc vel similia subinde inculcare haud abs re fuerit, vt Theologiæ Studiosi paulatim assuescant eam virtutum Christianarum ideam informare, quæ rei majestati respondeat. *a. Philip. 2. v. 3.*

Tertium quod ex superiori conficimus ita clarum est, vt nemo sit, credo, qui nobis de eo non facilè assentiatur: at

neſcio quomodo ſit, vt quod omnes ita vniuerſim poſitum verum eſſe agnoſcunt, cùm ad præxim ventum eſt, non perinde omnes meminerint; ego quid id rei ſit quàm clariſſimè potero, dicam. Nempe quandoquidem *Salus* in Euangelio propoſita ſupercæleſtis eſt; Theologiæ quæ eam Salutem habet pro fine, *totale & adæquatum* obiectum nullum aliud eſſe poteſt quam verbum Dei (vti nos in noſtra definitione monuimus) cùm de ſalute ſupercæleſti, & de mediis quæ ad ſalutem ſupercæleſtem tendunt, tantum ſciamus, quantum & quâ proportione nobis Deus in Verbo ſuo patefacere dignatus eſt.

Nam τῇ γνώσει & Naturæ contemplatio eò quidem vſque valet, vt tu Deum iuſtum, ſapientem, potentem, bonum, & ſi vis, etiam miſericordem & μακρόθυμον intelligas; & ita quin Natura τῆς κρείττονος φιλοσοφίας ὑποβάθρα ſit non negamus: at cùm tu ab ea quæ in mundo reuelata eſt ſapientia, ad *ſtultitiam crucis*, hoc eſt, ad Diſciplinam noſtram quæ eſt doctrina de cruce, cogitatione deueniſti, ibi noua omnia, nouus ordo, noua facies rerum,

nouum

Digitized by Google

nouum cælum, noua terra, *a. dogmata quæ neque oculus vidit, neque auris audiuit, neq; in cor hominis ascenderunt, quæ nemo præter spiritum Dei, qui solus nouit ea quæ sunt Dei, nobis gratificari potuit.* Quare qui Methodum nostram leget, animum suum longo vsu, longâ consuetudine cogitandi in id assuefaciat oportet, vt cùm Theologiam effingit animo, aliquid effingat toto genere diuersum à Natura; planè quasi eum Deus in alium orbem momento raperet, cuius structura nihil omnino simile haberet cum huiusce mundi compage: noui colores, nec antea vnquam visi; noua lux & noua lucis causa, soni quibus aures pulsantur alij; alia & inexplicabilis incolarum natura; vno verbo, planè diuersa principia, in quorum cognitione inuestiganda te Physicæ nostræ principia non magis adiuuent, quàm ad cognitionem Angelorum te possit lapidum cognitio adiuuare. *a.* 1. Corint. 2. *v.* 9.

Ex ijs autem quæ proximè diximus, hoc efficitur corollarium. Quòd quomodo in Philosophia omnium tutissima, si non inueniendæ veritatis, quod nos, vt sunt

res humanę, difficillimum arbitramur; at certè, quod proximum est, euitandi erroris hęc est norma, *vt nihil vnquam affirmes aut neges, nisi quod affirmandum & negandum distinctè & clarè intellexeris*: ita in Theologia omnium tutissimus hic est Canon, vt nihil assensu comprobes, nisi quod in Scriptura dici, clarè & distinctè intellexeris; assensio intellectionem ne antecedat; clara est & distincta intellectio? Firma sit assensio; nulla est intellectio? Nulla sit assensio. Dubia est & anceps intellectio? Recipe te ad ἰποχλω', quam Deus aduersus errorem, in omni disciplina tutum tibi aperuit portum, vt ingratum aduersus Dei bonitatem esse oporteat, qui tanto beneficio non vtatur; illud autem, in religione *non errare*, Deum immortalem! quantum quantum est!

Cæterum, istud nostrum corollarium duo capita complectitur: primum, vt quę certo scieueris in Scriptura comprehendi, ea, vtut aliàs absurda, inepta, à ratione aliena videantur, (qualia nulla esse existimamus, sed claritatis ergo fin-

Digitized by Google

gimus) pleno fidei assensu amplectaris; neque enim rationis (quę inquieta est & sibi cruces figere docta, etiam vbi omnia satis clara sunt) æstus vnquam aliter componentur, præsertim cùm Deus non modò in Euangelio, sed & in Natura quædam posuerit, quę rationem obterunt & humanam sapientiam confundunt. Nos profecto cùm Fausti Socini libros legimus, hoc nobis videmur videre, in id laborasse hominem, vt sibi Theologiam pararet, quæ humanæ rationi maximè probaretur, ad quam postea, vt ingenio suo mirum in modum confidebat, Verbum Dei (de cuius tamen auctoritate, sub ementito nomine Dominici Lopez Societatis Iesu non inerudite scripsisse fertur) otiosè detorqueret: Qui, si regula nostra vsus fuisset, & sibi & Dei Ecclesię multò meliùs consuluisset.

Alterum corollarij nostri caput hoc est, vt ijs quæ reuelata esse constat, nihil de tuo vnquam assuas; cùm tantum de Scripturæ majestate decedat, quantum ei ingenium humanum apponit de suo: nam si iurisconsultus qui à legum verbis abit,

Digitized by Google

vt earum fundamenta è Natura & Philosophia repetat, eo ipso Iurisconsultus esse desinit & Philosophi tantùm, qui operam suam Iurisprudentiæ locat, authoritatem habet; cùm tamen Politicorum leges ad vsum huius vitæ factæ sint, nec humanæ rationis capacitatem excedant: multò minùs Theologus ille erit, qui in Iuris-diuini-prudentia extra leges loquetur, quæ spirituales sunt & cælestes, quarumque adeò fundamenta si quis humanæ rationis viâ quærat extra Scripturam, hoc videtur dicere, Dei Sapientiam, quæ πολυπλη est & infinita, nullos alios exitus, fines & respectus habere potuisse, quàm quos humanum ingenium potuit propriâ industriâ comminisci. Quamobrem quæ solent de propagatione peccati originalis ad posteros, de personalitatibus Diuinis, de inferorum loco, de statu Beatorum in cælo & cæteris id genus, ingeniosè disputari, nos ferimus hactenus, si quis ea vti reuera sunt, tractatus Philosophicos vocet; eorum authorem, Philosophum Christianum; at qui se hâc parte pro Theologo haberi velit, næ ille

de Theologia tenuiter sentit & suam Disciplinam ignorat.

Cæterùm, cùm quicquid ad Religionis negotium pertinet, aut ad dogmata aut ad πολιτείαν siue disciplinam (quæ distinctio crebra est apud Veteres) necessariò referatur; quando nos totam Religionem verbo Dei contineri affirmamus, ad priorem illam partem quæ est de dogmatis (dogmata cùm dico, non ita strictè accipio vocem, quomodo solet sumi cum opponitur τῆς οἰκονόμιας, sed vt eas comprehendat) potissimùm respicimus: nam in ijs quæ ad πολιτείαν spectant, Deus voluit Ecclesiæ paulò liberiorem esse potestatem; tum quia in tanta populorum & imperiorum diuersitate, Christiani non poterant sub eadem disciplina contineri (alia enim alijs conueniunt; alia in regno, alia in repub. alia sub magistratu Christiano, alia sub Pagano; alia in Anglia, alia in Gallia viuentibus) tum quia Deus Ecclesiæ apud Christianos, per eam potestatem conciliare authoritatem volebat; ferè quomodo Magistratus Iudicibus *subalternis*, etiam extra officij præscriptum

munus multa concedunt, quò eorum magis sit inuiolata & illibata apud plebem authoritas. Sub πολιτείας ambitu ritus quosdam indifferentes comprehendo, quale illud est, in baptizatorum faciem aquam aspergere; die dominicâ non modò celebrare sacros conuentus, quod Apostolicæ traditionis videtur, sed præterea otiari; & si quæ sint paucula alia, quæ in Scriptura non aliter continentur, quàm ex generali mandato, *Omnia decenter & ordine fiant.* 1. Corint. 14. 40. Atque ita definitionem Theologiæ superiùs positam edisseruimus; sequitur instituti nostri altera pars, diuisio.

Theologiam variè diuidunt in Scholis; nam quatenus est totum aliquod *vniuersale* quod suas habet species, aliam *Ectypam*, aliam *Archetypam* esse docent. *Archetypa* Theologia est ipse Deus, omnis sapientiæ idea & perfectissimum exemplar; *Ectypa*, est doctrina quæ ad illam ideam efficta est: *Ectypam*, deindè in *naturalem* & *supernaturalem* diuidunt: *naturalis*, ea est quæ ex Naturæ consideratione ortum habet; *supernaturalis*, ea

quam tractamus. Nos vtramque istam diuisionem respuimus; illam, quia planè barbara est; quæ enim lingua Deum Theologiam vocari patiatur? Hanc, quia iuxta ea quæ ad definitionem Theologiæ jacta sunt fundamenta, non tam est partitio totius in suas partes, quàm nominis æquiuoci distinctio. Theologiam supernaturalem illi porrò in *Positiuam*, *Casuisticam* & *Polemicã* partiuntur: alias enim diuisiones, quia nullius sunt momenti, omittimus. Polemicam vocant, *quæ tum in propositione rationum, quibus error profligatur; tum in exceptionum, quibus veritas impetitur, confutatione consistit*: Casuisticam appellant, *quæ religionis Christianæ præcepta moralia, quæ non poterant aliter in Scriptura, quam generaliter proponi, ad particulares circunstantias facti, personarum, loci &c, accommodat.* Positiuam esse docent, *quæ theoremata doctrinæ Christianæ, & diuinam eam quæ inter ea intercedit harmoniam, per aptas definitiones & diuisiones rerum, nudè & simpliciter proponit.*

Nos ita sentimus, quam illi *Polemicam*

& *Casuisticam* Theologiam vocant, Theologiæ *positiuæ* appendices potiùs quasdam, quàm species oppositas videri: nam, vt de polemica primùm dicam, (quam vellem alio nomine appellassent; quid enim Theologia, quæ pacis doctrina est, commune habet cum bello?) *cùm rectum sit sui atque obliqui norma;* qui theologica rectè ponet, ille doctrinæ corpus struet, ita suis aptum partibus, vt quia, ne per tumulam quidem, in eam structuram error potest irrumpere & ibi locum inuenire, eo ipso error esse deprehendatur: quomodo in ædificio, quod extra lineam & perpendiculum exit, illud exinde abnorme esse, prudens facilè intelligit architectus. Vt hîc non dicam, varijs, ijsque grauissimis, incommodis vrgeri qui Theologiam *Polemicam* seorsum à *positiua* tractant: nam primò, argumenta, quibus ab ἀλληλαγχία & nexu partium magna vis erat parata, nuda & inermia aduersarijs obijciunt. Secundò, memoriam lectorum miserè obruunt; ea enim obliuisci necesse est, quæ nullo vinculo, nullo certo ordine colligata & con-

Digitized by Google

nexa legeris. Tertiò, ijs omissis de quibus inter omnes conuenit, ea duntaxat vrgent & in ijs solis pietatis summam ponunt, de quibus non æquè consentitur, atque ita pro Theologia, quæ, quia est practica, tota in virtutem intenta, res placida esse debet, artem litigiosam obtrudunt. Denique illi, plerique saltem (nam aliquos excipio liberali ingenio præditos viros) sua quam commodissimè referunt, additis probationibus, confirmationibus, & si quid est quod alioqui causam adiuuet; contrà, quæ sunt Aduersariorum, ea, vt artis est, destituta suis neruis, idque verbis sæpe, quàm fieri potest odiosissimis, proponunt.

Neque eò dicimus, quòd Virorum præstantissimorum operam aspernemur, quorum in hacce palæstra sese exercuit industria; quin contrà existimamus, eos majorem laudem mereri, quò minus gloriæ è suo labore eos speraſſe putandum est; eum enim, quantus est, Dei Ecclesiæ impenderunt: sanè si qui sint tardiores naturâ, qui quid ex quo, per longos consequentiarum nexus sequatur, non statim

Digitized by Google

intelligant, ijs ego suaserim vt se ad librorum Polemicorum lectionem adjungant; nam ita sibi aduersus Sophistas subsidium, nullo ferè suo labore comparabunt, & facilè inuenient, libris enim id genus plenus est mundus, in quo suam occupent atque exerceant industriam: caueant illi modò ne sibi de vaga illa eruditione nimiùm placeant: non temerè dico, nam quia vaga illa & nullis adstricta vinculis eruditio, ferè est instar ponderis, quod sui sensum imprimit, & suâ grauitate animum fatigat; sæpe videmus euenire, vt qui per varium illud argumentorum & responsionum pelagus iuerunt, suî opinione inflentur; at qui sequuntur naturam ducem, & conclusiones in ipsis principiorum penetralibus intuentur, illi habitum scientiæ (quia menti benè apta est) à naturali, quâ pollent, vi intelligendi vix distingunt, nec suum intellectum eâ re magis onerari sentiunt; quàm corpus capitis, manuum & cæterorum membrorum, quæ congruenter coagmentata sunt & per aptas commissuras compacta, pondere grauatur.

Digitized by Google

Ad Theologiam *Casuisticam* quod attinet, illa, vt & superior illa *Polemica*, Positiuæ Theologiæ est appendix quædam & quasi παρεργάς; nam Ethica Christiana ex dogmatis Theologicis fluit; ex Ethica porrò pendent innumeri illi actionum singularium casus, quos sibi Casuistæ examinandos sumunt, atque ita illud *Casuistica* artis quidquid est, in Theologiam Positiuam tandem recidit. Nisi quòd quæri hîc fortè posset, an eâ parte nostra Disciplina indigeat? Noui qui negarent, eâ adducti ratione, quòd quas in eo genere demonstrationes dabis, illæ *morales* tantùm erunt, (nam frustra sit, qui in Ethica *geometricas* demonstrationes expectet) morales autem demonstrationes vocamus, quæ virum malum ad assensum non trahunt, sed viro bono facilè approbantur: at habet (inquiunt illi, quorum hîc referimus sententiam) viri boni conscientia aliquid sanctius, quàm quidquid scribunt *casuum* conscientiæ tractatores; aliquid verò sublimius, quàm vt vllius *Casuistæ* regulis & præceptis opus habeat: putant itaque illi Casuisticam esse *artem*

Digitized by Google

litigandi cum Deo (vt eam nuper Vir elegans vocabat) quâ quis parum firmæ & vacillanti patrocinetur conscientiæ: quàm periculosa autem res sit litigare cum Deo, hodiernorum Casuistarum experientia satis demonstrat. Quidquid sit, neque enim hîc meum interpono iudicium, vtilissimum fuerit infirmorum conscientiam, *a.* ad exemplum Pauli, breuibus quibusdam & simplicibus regulis sublenare; quod ex nostris Hominibus quidam feliciter tentarunt, & audio etiamnum esse viros præstantes, qui ad eam partem Theologiæ illustrandam animum suum adjungant. *a.* Epist. ad Rom. cap. 14. 1. Corinth. cap. 7. & passim alibi.

Theologiam, quatenus est totum aliquod *integrale* quod partes habet *integrantes*, varij variè diuidunt: nos ea vsi libertate, quæ magna solet Scriptoribus concedi, vbi id vnum quæritur, quid quoque loco tradant, nouam viam insistemus, quæ si non optima, certè, vt nostrum est institutum, satis commoda erit; ego totam methodi nostræ rationem, vt eam lectores vno oculi conjectu videant, hîc

Digitized by Google

paucis explicabo. Primùm, hoc probandum arbitramur, *Biblia esse Verbum Dei*, & quod nos vltrò sequi existimamus, *habere authoritatem quoad nos*: quoniam enim hæc propositio, *Biblia sunt Verbum Dei*, omnium propositionum Theologicarum commune est, atq; proximum principium, si tu eam semel solido adstruxeris fundamento, id vnum tibi supererit laboris, vt ope grammaticæ quæras, quid in eo libro dicatur; vnde porrò tam certa conclusio deriuabitur, quàm certum est, quia totum parte quâque singulari maius est, caput oculis esse maius: nempe hoc inter eas Disciplinas, quas vulgò *humanas* vocant, & Theologiam est discrimen; quòd in illis, vnicuique conclusioni suum respondeat proprium atque *homogeneum* principium (alio enim principio in Physica, eclypsis solis; alio, virtus magnetica demonstratur) in Theologia vnicum habeas principium, quod ad omnes conclusiones proximè extenditur. Illud enim, *Scriptura est Verbum Dei*, &, *hoc dicitur in Scriptura, ergo hoc verum est*, solennis est Theologorum formula, à qua, ne la-

Digitized by Google

tum quidem vnguem discedere cuiquam licet. Quare Disciplinam nostram videntur ignorare, qui principium illud vel supponunt, vel perfunctoriè & dicis causâ attingunt.

Hoc posito, &, quantum quidem fieri poterit, solidè communito, ad cætera tutius iter erit. Primò, itaque incipiendo à Genesi, omnia ea quæ ad Adamum spectant, examinanda veniunt. Secundò, de præceptis Noacho datis, à quibus nouâ incipit œconomia, disputandum. Tertiò, agendum de reuelatione Abrahamo facta, quę vtriusque fœderis semina complexa est. Quartò, veniendum ad Mosem, & Mosis interpretes Prophetas. Quintò, Iohannis Baptistæ, qui Prophetas, ipse Propheta, immò Prophetarum maximus, proximè, quanquam longo interuallo sequutus est, ministerium explicari necesse est. Denique, de Christi persona, officijs, miraculis, doctrina, Sacramentis &c. ex Euangelistarum commentarijs, & Euangelistarum interpretibus Apostolis, ea transcribenda, quæ Messiæ ideam totam absoluant; vsque dum de cælesti disserta-

Digitized by Google

tur felicitate, quæ pars, quia vltima est, ideò eam Iohanni, qui omnibus Apostolis superfuit, & vltimus scripsit, Dei sapientia reseruauit; vt non sine numine factum videatur, quod incomparabile & diuinum Scripturæ sacræ systema claudat, quæ terrenam hancce vitam claudet, felicitas cælestis; atq; hîc Disciplinæ nostræ, in quantum disciplina est, finis erit.

Neque tamen hîc systematis Theologici finis est; integra enim quæstio hęc manet, quænam Dei *auxilia* requirantur, vt quis Disciplinam nostram syncerè & ex animo suscipiat? Quam quæstionem, tum mysteriorum, quę in Theologia tractantur, sublimitas, tum nostra, vbi de *spiritualibus* agitur, ignorantia & malitia necessariam fecerunt: nam quia (exempli gratiâ dico) quæ ad Philosophiam capessendam Deus auxilia suppeditat, illa & cęteris disciplinis communia sunt, & nota supponuntur, libri, educatio liberalis, magistri, acre ingenium &c. operam inaniter ponat, qui de ijs Dei *auxilijs*, quę Pagani, in primis eorum princeps Homerus, Diuinę prouidentiæ tribuerunt,

Digitized by Google

proprium in Philosophia instituat tractatum : at quia quæ de Dei efficacia in hominis conuersione tam sæpè, tam magnificè, penè dicam tam operosè, Scriptura inculcat, eam *ideam* imprimunt menti, maius aliquid & splendidius dici, quàm quod in alijs doctrinis habet locum; qui eam partem de *victrici Gratia* silentio prætermittit, & scientiæ suæ parum gnarus, & aduersus Deum parum gratus videtur.

Cur autem nos doctrinam de *auxilijs* à corpore disciplinæ distrahamus, duæ sunt causæ; Primò, quòd tota illa de *auxilijs* doctrina, cum ijs quæ suprà recensentur, non *per se*, sed *per accidens* cohæreat: nempe, si eæ in voluntate superessent adhuc vires, quas Pelagius ponit, totâ illâ de *auxilijs* quæstione, quæ plena est laboris & molestiæ, facilè careremus; neque tamen nostræ disciplinæ sua integritas minùs constaret. Sanè, cùm Scriptura homines tam sæpè iubet credere, hoc, opinor, non iubet, vt Spiritûs S. efficacitate credant; sed, quâcunq; tandem facultate id fiat, siue naturæ vi, siue gratiæ instinctu, vt credant.

Digitized by Google

vt credant. Quòd itaque solâ vi interiori Spiritûs Sancti nos credere arbitremur, id fit ex actu reflexo intellectûs, qui, quia suæ ignorantiæ sibi est benè conscius (adstipulante in primis Scriptura, quæ in nostra corruptione describendâ, multa est) facilè intelligit, quòd credat ipse; alter ille, in tanta naturæ corruptæ *paritate*, non credat, illius discriminis causam non penes se, sed penes Spiritum S. esse, cujus imperuestigabiles sunt atque inexplicabiles viæ. Nostra itaque ratio huc redit. Quandoquidem tota illa de *auxilijs* tractatio nata est ex reflexo mentis actu, qui antecedentem dogmatum cognitionem supponit; rectè eum facere, qui methodum suam ad eum ordinem accommodet.

Altera tatio quæ nos mouet vt doctrinam de *auxilijs* à cæteris disiungamus, paulò fusiùs est explicanda; quia illius vsus ad plura se porrigit. Scilicèt ita existimamus, sic orandum esse Deum, quasi omnia, vt reuera sunt, in Dei gratia essent sita; sic verò Theologiæ theoremata proponenda, quasi eorum vera &c

Digitized by Google

recta susceptio ab hominis industria & naturali libertate, tota penderet. Qua in re authorum διοπνέυσον iudicium sequimur & authoritatem imitamur: illi enim conversionis nostræ laudem totam, quanta quanta est, Deo omnis bonæ donationis authori transcribentes, dogmata tamen Theologica non aliter tradunt, quàm si homo conversionis suæ artifex & author esset, eorum enim hæc sunt; *a. resipiscite, nam appropinquauit regnum cælorum b. Quicunque credit, seruabitur. c. Impossibile est eos qui semel fuerint illuminati*, hoc est, vt nos eum locum interpretamur, qui semel fideles fuerint, *si prolabantur, renouari ad pœnitentiam* &c. in quibus hoc quæritur, non quid Deus facere, vel non facere decreuerit; sed quod consequens ex quo antecedente, per modum disciplinæ colligatur? Ex appropinquatione regni cælorum, resipiscentia; ex fide salus, ex apostasia Sanctorum, finalis impœnitentia & damnatio. Quodcunque enim tu, vel de decretis Dei in hominum conuersione vel de perseuerantia Sanctorum

tandem statuas; ista nihilo minùs in ratione disciplinæ sunt inconcussæ veritatis, *seruatum iri quicunque crediderit; renouari ad pœnitentiã non posse, qui semel exciderit fide* &c. Quibus si quis doctrinam de *auxilys* immisceat, tum si quidem consentanea loqui velit, illi dicendum erit; *vos qui propryis viribus resipiscere non potestis, resipiscite. Fidelis qui non potest prolabi, si prolabatur, non potest renouari ad pœnitentiam &c.* Quæ vt vera sint, de quo aliàs videbimus, tamen intempestiuè hîc dicantur, neque enim ea res, hoc quidem loco, agitur. *a.* Matt. 3. ℣. 2. *b.* Ioh. 3. ℣. 16. *c.* Epist. ad Heb. 6. ℣. 4. 6.

Cùm hæc scriberemus, nobis in mentem venit similitudo, quæ possit esse probationis vice. Dominus noster Iesus, *Deus erat benedictus in æternum*; & tamen haud aliter cum Apostolis versabatur, quàm si Deus non esset; alioqui enim sanè nulla inter Apostolos & Christum conuersatio intercedere potuisset: quorsum enim illi oratione vocali vsi fuissent apud Christum, qui eorum cogitationes intimas peruidebat? Quorsum

terrogati à Christo respondissent, qui *a. scirent Christum non opus habere vt ei quisquam testaretur de homine?* Sexcenta sunt huiusmodi, quæ nos lectorum cogitationi relinquimus: Christum itaque Apostoli colere tenebantur vt Deum, quod reuera erat, benedictum in æternum; sic verò alloqui, quasi merum hominem, quod non erat. Quò hæc similitudo spectet facilè omnes vident, neque eam ad causam præsentem reuocare necesse est, ita res clara est. Vt sit finis affirmamus cum S. Augustino, *prædestinationem Sanctorum populo Christiano prædicandam esse, vt qui gloriantur, in Domino glorientur*: at illud addimus, quod itidem sanctissimo Patri placuit, prædestinationem Sanctorum certo quodam modo atque ordine populo Christiano prædicandam, ne qui prædestinationem audiunt, prædestinatione ad licentiam abutantur: ille autem ordo in eo positus est, vt cætera dogmata antecedant, ista pars subsequatur. *a.* Ioh. 2. v. 25.

Doctrinam de *Gratia* excipiet tractatus de *Ecclesia*; Ecclesia enim, vt ille loqui-

Digitized by Google

tur, *Gratiæ est filia & proles germana.* Celebrem autem eum locum de Ecclesia, ideò separatim à reliquo Disciplinæ corpore contemplamur; quia, etsi nulli essent Credentes, hoc est, nulla Ecclesia, nihilo minùs vera ea essent, quæ credenda, suo quæque ordine, proponuntur. Quæ porrò solent de *integritate*, de *perspicuitate* Scripturæ &c. disputari, ea, vt pote corollaria, quæ ex antecedentibus nascuntur, sub finem breuiter percurremus: nam sanè si semel ea dogmata constituta sunt, quæ ex Scriptura nos clarè & plenè probaturos recepimus; tum id spontè sequetur, Scripturam *integram* esse, *perspicuam*, &c. Hæc sunt, quæ de *definitione* & *diuisione* Theologiæ dicenda habuimus.

Verùm, antequam concludam hancce dissertationem, operæ pretium erit quædam præcepta, quasi coronidis loco, hîc attexere; vnde magna ad Studiosos Theologiæ, quos informamus, vtilitas redibit. Primum, Theologus *debet esse vir bonus*; nam si ne *bonus quidem orator esse potest*, teste Tullio, *qui idem non sit vir bonus*; bonus, credo, Theologus non erit, qui

ambitione ; auaritia , libidine, & cæteris id-genus pestibus animum non repurgarit, quò se in Theologiam, nullis alijs distractus curis, Christo & conscientiæ sese approbans, bonâ fide intendat : at illud omnium disciplinarum est commune ; istud nostræ proprium. Primò , quòd nostra disciplina sit πνευματικὴ, nec possit nisi πνευματικῶς comprehendi : at ibi non habitat Spiritus Dei , vbi non est *pax Dei* ; ibi autem non est pax Dei , vbi non est solida sine fuco pietas, & ἀνυπόκριτος fides. Secundò, quòd innumera sint doctrinæ nostræ capita, quæ non tam labore & industriâ, quàm ex sensu aliquo pietatis cognoscuntur. Sic, quæ solent de fidei iustificantis natura , de gratia Spiritûs S. interiùs operante, de charitate Christiana vulgò tradi ; illa, quia sunt animis inscripta, in ijs eò quisque est doctior, quò majores in pietate progressus fecit : nam ita est profectò vt dicam , postquam Fidelis ea omnia expediuit, quæ ipsum in Christi disciplina retinent, propè est vt eum instituti sui statim pœniteat , quando ea, quæ magno ediderunt conatu , nulla ferè esse

Digitized by Google

videt præ ijs, quæ in intimis asseruat medullis condita.

Secundum præceptum, *Theologus segnis, confidens, esse non debet*: quòd enim æqua rerum æstimatrix Antiquitas hoc vitium in Theologis notauit; id nos debet admonere, vt pro se quisque videat, ne ad ipsum quoque illa serpat contagio. *Confidentes* autem vocamus, qui neminem à se dissentientem ferre possunt, quique opinationes suas, tanquam omnis orthodoxiæ canonas proponunt. Homines profectò miseri, qui dum in nescio quibus quisquilijs occupantur, & veterum Philosophorum variantes sententias legere aspernantur, nec humani ingenij infirmitatem, nec suæ supellectilis tenuitatem satis videntur attendisse; qui, si suam tyrannidem tantùm in ijs exercerent, quæ in Scriptura se hausisse profitentur, (quanquam Confidens est, qui se solum oculos habere arbitratur) possent illi fortè eâdem illâ, quam hîc cõmendamus, animi æquitate tolerari: at, quòd quæ ipsi somniarunt, vel aliunde magno numero corraserunt, ea alijs imperiosè obtrudunt, & ni

Digitized by Google

statim assentiaris, te hæreticum denuntiant & proclamant, id profectò tam est audax facinus, vt nihil audacius, ne fingere quidem queamus.

Nostra itaque hæc est sententia, maximas gratias Deo agendas esse, qui nobis in capitalibus idem sentire dederit; de cætero (capitalia semper excipio) patienter expectandum, dum obscura Deus nobis reuelet; interea, veterum ludęorum modestiam imitandam, quorum hoc est celebre & sapiens dictum: *Elias corriget omnia difficilia & dubia:* præclarè, vt omnia Augustinus: *Quid opus est vt affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quæ sine discrimine nesciuntur.* Clara sunt in eam sententiam, & plena diuinitatis Apostoli Pauli verba: *Quotquot itaque perfecti sumus, hoc sentiamus: quod si aliter sentitis, hoc quoque Deus vobis reteget: attamen in eo ad quod peruenimus, eâdem incedamus regulâ & itidem simus affecti.* Philip. 3. ℣. 15. 16.

Tertium præceptum, *Præiudecia deponat*, hoc est, animum suum ita comparet, vt, cùm Dei Verbum legit, se huic vel

Digitized by Google

illi religioni addictum esse, si pote, obliuiscatur: eò enim fiet, vt præconceptas opiniones ad Scripturam; non, contrà quàm plurimi faciunt; Scripturam ad præconceptas opiniones examinet; & ita sit, non ampliùs felicitate tantùm nascendi, sed scientiâ & fide Christianus: illud autem, esse fide & scientiâ Christianum, tanta res est, vt qui præiudicijs infantiæ exolutus, micantem in Euangelio diuinitatis lucem, non ampliùs alienis, sed suis oculis cernit, se tum primùm Christianum fieri arbitretur, & diuina illa pulchritudine circunfusus; non tam eo nomine Deum laudet (quanquam hoc quoque) quòd se nasci Christianum, vel, vt accuratiùs dicam, quòd se in religione Christiana nasci voluerit, (nam vt loquebantur Vetères, *Christianus non nascitur, sed fit*) quàm quòd nouam natiuitatem addiderit, quę priorem illam tantùm superet, quantùm naturam Spiritus; terra, cælum.

Incredibili illâ felicitate sese scientes priuant, qui Scripturam eo animo commentantur, vt quę à nutricibus & paren-

Digitized by Google

tibus fando acceperunt, ea quoquo modo inueniant in ſcriptura: errant enim illi, etiam cùm rectè ſentiunt: nam quomodo arquati quibus omnia lurida videntur, quę vident; cùm ea lurida eſſe putant, quæ reuerà ſunt lurida, non tamen benè iudicant, quia falſo principio iudicium iſtud nititur: ita qui veritates, quas ex prę iudicio fortè nactus eſt, in omnibus Scripturę ſacræ libris, paginis, verſibus ſe videre arbitratur, ſi quando eueniat eum verè ſentire, haud rectè tamen ſenſit, ſiquidem eum non certum iudicium, ſed caſus in eam partem impulit. Nempè, in eorum hominum manus, quomodo viator in latronem, veritas delapſa eſt; quæ ſi haberet aliquem ſenſum, grauiter indignaretur ſe, *quæ homines vindicat in libertatem*, tam indignis vinculis conſtringi: iſtos, nam id quoque addere non inutile fuerit, tu ex ea nota facilè dignoſcas, quòd Scripturæ loca ſine vllo accuratiori examine in aceruum congerant, & dum nihil indictum eſſe volunt, ſæpè ea, quæ maximè ex re erat dici, prætervehantur; qui homines profectò, ſi Tur-

cæ nati essent, Mahumetismum tam fideliter imbibissent, quàm Christianismum imbiberunt. Hic omittere non possum quod à viris fide dignis accepi. Interrogatus à Theologo Renatus Cartesius, (cuius Viri iudicium ij etiam magni pendunt, qui ab ejus secta alioqui maximè alieni sunt) an idem in Theologia præstari posse existimaret, quod ipse in Philosophia præstitisset, vt omnia exirent suis apta principijs, & alterum ex altero nasceretur? Respondit, se id facillimum putare, si modò quis à clarioribus incipiens ad difficiliora per gradus quosdam iret; at, qui id susciperet, præiudicijs vacuum esse oportere: quòd in religione eò difficiliùs Cartesius existimabat, quòd pertinaciæ titulus pietatis obtendatur.

Quartum præceptum, *Scripturam indefinenter legat*, neque enim nos hęc duo, bonum Theologum & bonum Scripturæ Interpretem, tanquam diuersa distinguimus; quod quia ex principijs superiùs positis vltrò sequitur, ab vlteriori confirmatione supersedebo. Porrò, cùm ad Scripturæ diligentem & accuratam lectio-

Digitized by Google

nem hortamur, non excludimus *Scholas*; quas locos communes vulgò vocant, quin eas majorem in modum Studioſis commendamus, tum vt quæ hîc illîc ſparſa iacent, ea tanquam in communi apotheca reponant; tum vt voces technicas diſcere aſſueſcant; præter quas, ſi verum dicere amamus; nihil ferè habent Theologi, quo à viris quibuſdam literatis diſcernantur, quos tamen, eò quòd fictitias noſtras nomenclaturas nunquā didicerint, Theologos nemo vocauerit. Philologos hîc intelligo, qui, quia ſunt linguarum ſcientiâ exculti, nec aures diſputationibus noſtris tritas habent, ſæpe defæcatiorem & à præiudicijs liberiorem animum ad Scripturæ interpretationem afferunt. Atque hoc eſt noſtrum de *Scholis* iudicium; cui & iſtud addimus, *Scholas* quò breuiores ſunt, eò meliores nobis videri; breues autem omnes erunt, à quibus ſemel logomachias excreueris; quæ, logomachias dico, Diſciplinam noſtram tam fœdè deturparunt, vt id viri pacis amantes neque meminiſſe ſine dolore, neque ſine indignatione referre queant.

Digitized by Google

Dehique hoc monemus, *indefinenter orandum esse Deum* quod præceptum nos in finem reiecimus, quò si alia excidant, illud saltem, quia in eo ferè sunt omnia, imis maneat animis insculptum: nam profectò mens oratione, tanquam spiritu quodam instincta, ea aliquando inuenit, in quibus, postquam eam diuinus orationis ignis defecit, sui ingenij vestigia, non agnoscit: iterum itaque in genua procumbit & luminum Patri, *in cujus lumine vidit lumen*, gratias summas agit: Scilicet, hoc illud est quod Dei ipsius verbis promiserat Iacobus: *si cui vestrûm deest sapientia postulet à Deo, qui dat eam omnibus benignè, nec exprobrat & dabitur ei.* cap. 1. ℣. 5.

FINIS.

Digitized by Google

DE RATIONE CONCIONANDI.

CVMante sex septem menses acroases nostras, ex more Academiæ publicè instaurarem, recepi me de concionandi ratione post ferias hasce Paschales paulò fusiùs dicturum: nunc, fidem liberare est animus; vt quandoquidem vos domi priuatâ industriâ, in hac studiorum nostrorum parte informare decreuimus, prius consilij nostri breuem vobis delineationem adumbremus: nam de tota re accuratè pro materiæ dignitate agere, nec virium nostrarum esse satis intelligimus,

Digitized by Google

qui alijs districti studijs rarò ad concionandum accedimus; nec omninò necessarium existimamus; cùm Viri Doctissimi hoc argumentum ita diligenter & eruditè tractarint, vt ad summam accurationem nihil reliquum facere voluisse videantur: id tantùm negotij nobis datum existimamus, vt quos insigniores defectus in tyronibus (vt plures esse in tyronibus necesse est) deprehendimus, de ijs prout officij nostri in ea in quanos Deus statione locauit, ratio postulat, non comptâ & studiosè quæsitâ; sed simplici & perspicuâ oratione moneamus: illud autem à nobis præstari planè non poterit, quin plura subinde à nobis obseruentur, quæ Viris doctissimis exciderunt: siue quòd Studiosos non audirent, qui animum & memoriam aduerterent: siue quòd in pejus semper vergens serior ætas, vitia inuexerit quæ erant illis, quibus scribebant, temporibus inaudita.

Primùm omnium hoc pono quod dissertatione nostra de ratione studij Theologici ponere nos meminimus, qui Ecclesiastes esse optet, habere eas dotes, quas

Digitized by Google

in Eccleſiaſta recta ratio & communis hominum ſenſus requirit, firma latera, memoriam expeditam, vocem ſuauem, inueniendi ſagacitatem & diſponendi prudentiam: quæ ſi non eo gradu ei obtigerint, qui ad perfectionem ſufficiat, (peſſima enim eſſet hominum conditio ſi id demum probaretur quod perfectum eſt) at ſane eâ menſurâ obtigiſſe neceſſe eſt, quæ ad id ſatis ſit, vt progreſſus Euangelij non retardetur, neque ſcandalum obijciatur infirmis.

Neque enim ulla res cuiquam vnquam feliciter ſucceſſit, *cuius innata animo principia & ab initio impreſſa non extarent*: quippe natura, vt verè obſeruat Longinus, τοῦτόν τι χαρακτῆρα γενέσεως στοιχεῖον ἐπὶ πάντων ὑφέσηκε, vt qui illud ſibi omnino deeſſe ſentiat, & contra naturam niti inſtituat, multùm laboret, neque hilum proficiat, & quod aliquanto pejus eſt, in publica commoda graviter peccet: nam nos ita exiſtimamus adulterum & homicidam ſocietati nunquam tantum obfuiſſe, quantum Eccleſiaſtes obeſt, qui inuitâ, vt loquuntur, mineruâ, nullis planè dotibus

dotibus ad eam rem instructus, totos triginta annos, apud eundem populum, nullo meliori collega subleuatus ἐκκλησιάζει: nam primò ea res Ecclesiastæ ipsius contemptum atq; odium parit; contemptus atque odium Auditores ad sacras conciones audiendas omissiores facit; à sacrarum autem concionum cõtemptu quàm minimum absit ab ipso rerum sacrarum fastidio facilè intelligitis; rerum porrò sacrarum fastidium quid aliud quàm impietatem ex se dabit? Impietas & animæ & Reipublicæ ruinam inducet: vt miret in his regionibus vbi ea cura Magistratui est demandata, medicos extrudi qui suam artem minùs callent, quòd ex ea re sanitas detrimentum capiat; Ecclesiastas ex suggestu non deturbari, qui in suo loco stare nequeunt, quin morum corruptio; & ex ea corruptione animarum exitium & statûs ciuilis labes necessariò consequatur.

Quare si quis est vestrûm qui ne ipsa quidem στοιχεῖα γενέσεως, siue *elementa generationis*, vnde omnes artes tanquam ex fonte manant, in se inueniat;

Digitized by Google

ei in primis sum author vt animum ad alia conferat, neque animarum curam onus quouis Ætna grauius, in suos humeros vnquam recipiat; quòd si eum amici inconsulto quodam zelo ab eo consilio deterrere moliantur, aduersus amicorum consilia animum obfirmet, neque à proposito se dimoueri patiatur: dicent, nihil homini in vita maius & glorioſius posse contingere, quàm si eâ parte Apostolos imitetur, quâ illi Euangelium annuntiarunt: eam demum esse optimam partem, quam qui elegerit vereri non debet ne ab ea vnquam excidat: cæteros homines humana, Ecclesiastam, vt qui pro Christo legatione fungatur, diuina meditari: honesta oratio est, at quam tamen, si quis propiùs rem inspiciat, non ratio, sed præpostera pietas dictat: ei enim illud vnum opponimus, *Dei voluntati quis restitit, & ei bene fuit?* quomodo enim *nemo olim sibi sumpsit hunc honorem vt esset sacerdos Dei, sed qui vocatur à Deo, sicut & Aaron:* ita profectò & nunc nemo debet in hunc honorem inuolare, vt sit legatus Dei, nisi si à Deo se vocari clarè nou erit;

at se non esse ex eorum numero qui vocentur vel ex eo satis intelligit, quòd huius εὐφυΐας sibi non sit conscius, absque qua sit, non modò concionari, sed ne quicquam quidem paulò notabilius præstare quisquam queat.

Sed enim tamen balbus erat Moses quem Deus sibi in seruum allegit; sanè; at neq; etiam Mosi Deus Ecclesiastæ partes demandauit, & Aaroni operam ei addixit qui vice oris esset: tu ad concionandum properas, nullâ Dei ope singulari suffultus, nullis præsidijs subleuatus: saltem illi quos habuisti ad eam rem impulsores, sese in tui nomen & vicem vades coram Dei tribunali sistèrent: at profectò id adeò non præstabunt, vt ipsi sint in suam infantiam primi illusuri, si quod ipsi tibi suggesserunt, consilium minùs succedat. Quot verò esse putatis viros bonos, qui cùm videant sui ingenij & suæ tenuitatis culpâ publicam ædificationem retardari, intimis sensibus taciti ingemiscunt & cum lachrymis de parentum & amicorum præposteritate apud Deum quiritantur, qui se in ea loca protruserint, quæ

ſaluâ hominum exiſtimatione deſerere; tueri ſaluâ gregis pietate nequeant. Qui ſi in tempore prudentes monitores inueniſſent, fidelem reipublicæ alibi operam nauarent, & in vita priuata ſaluti ſuæ multò meliùs conſulerent.

Eſto itaque hęc noſtra generalis ὑπόθεσις, eſſe in Studioſo qui ſe ad concionandum adjungit, aliquid paruum magnum, aliquid certè, quod arti & operi tanquam idonea materia ſubſternatur, ne ea quam iàm ponimus, inanis atque irrita tota nobis cadat induſtria.

Quod poſtquam à nobis ſemel ita conſtitutum eſt, ad ipſa artis præcepta propiùs accedendum: illa autem fermè hâcce regulâ generali continentur, vt quis *deuotionem & naturam ducem ſequatur*; nam ſi quis ad hæc duo (deuotionem dico & naturam) oculos conuertat, vereri non debet ne in ea, longa ſanè & parùm etiam tuta nauigatione à portu nimiùm aberret: atq; illud eſt quod demonſtrare hâcce noſtrâ diſſertatione ſuſcipimus.

Et deuotio quidem (vt de ea primùm dicam) cùm nihil aliud ſit Chriſtianis

Digitized by Google

(eam enim vocem Pagani eâ notione ignorarunt) quàm pietatis feruentissimus quidem zelus, deuotioni primas partes hîc tribuendas putamus, quippe cuius vsus adtam multa & tam varia porrigitur, vt in toto Ecclesiastico ministerio nulla pars sit, in qua suum non sit deuotioni singulare pretium: & vt nihil aliud esset, at istud quanti apud æquos rerum æstimatores esse debet quòd Christum qui est λόγος & Sapientia Patris nobis conciliat, conciliatus autem Christus quæ à Patre dona accepit distribuenda hominibus, maiori mensurâ ijs impertit, qui ad ipsum sæpius summissimâ animi deuotione accedunt: sunt enim omnes profectò fideles Christi fratres & ita in Scriptura appellantur, at illa est Deuotionis propria dos, quòd dum suos crebris precibus & gemitibus in cœlum tanquam alis quibusdam subuehit, eos in intimam Christi familiaritatem insinuet: illa dein familiaritas Christi gratiam parit, *in qua sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis qui olim erant reconditi.*

Verumenimverò dico etiam extra con-

ſiderationem diuinæ gratiæ, quam nobis deuotio conciliat, magnum eſſe deuotionis ad facundiam Chriſtianam momentum, nam quod eſt in Poëtica ἐνθουσιασμὸς, quod in arte oratoria inſtinctus & impulſus naturæ, Ciceroni & Fabio tantopere celebratus, id ipſum eſt in arte noſtra ardens atque inflammata deuotio, quę cùm Eccleſiaſtam ſuis vſſit facibus, eum rapit extra ſe nec ſui ſatis compotem eſſe ſinit: vt mihi concionator eloquentiſſimus verè & ſcitè reſpondiſſe videatur, qui interrogatus ab amico quâ viâ potiſſimùm magnos in Eloquentia Chriſtiana progreſſus faceret: *ſi*, inquit, *maximè ames Chriſtum.*

Neque ſanè ratio obſcura eſt aut longè nimiùm petita, id enim opinor ſibi Eccleſiaſtes proponit, vt amorem Dei Auditoribus inſtillet; atqui ſi ipſe ſit affator frigidus, quî poterit ipſe alios inflammare? Quod ipſe animo ſuo nondum ſatis perſuaſit, quî alijs probabit; *an ille dolebit*, ait Quintilianus Rhetor, *qui audiet me quum hoc dicam, non dolentem: iraſcetur, ſi nihil ipſe qui in iram concitat idque exigit, ſimile patiatur: ſiccis agenti oculis in-*

Digitized by Google

dex lachrymas dabit: fieri non poteſt: nec incendit niſi ignis, nec madeſcimus niſi humore, nec res vlla dat alteri calorem, quem ipſa non habet. Quod ſi quis ſit qui pietatis feruorem quem non habet, arte & induſtriâ ſe ſimulaturum ſperet, næ ille deuotionem & ſe ipſum ignorat: deuotio enim ignis cæleſtis eſt, cuius quot ſunt ſcintillæ, tot ſunt Spiritûs Sancti ſtricturæ, quas ars imitari magis non poteſt, quàm tædæ noſtræ vim ignium cæleſtium exhibere: & poterit quidem ille magnâ vi vocis & laterum contentione perorare: quidni enim? Si modò illi adſunt latera & pulmones; at illa gladiatoria contentio quia ex imo pectore non ducitur, Auditorum pectus non tanget & miſeri illius Stentoris valetudinem perturtet. poterit itidem ille oculos, manus & totum corporis habitum aptè ad ea quæ dicuntur componere: at enim quia ea omnia ars non pietas, Magiſtrorum inſtitutio non pietatis ardens zelus regit, Conſcientiam nihilo magis afficiunt quàm ſi quis ea in pictoris officina contempletur: neque profectò mirum, cùm Spiritu de-

Digitized by Google

fecta sint, qui tanquam vehiculum illa ad animum defert, nec sinit in sinuosis aurium flexibus inaniter oberrare: hinc autem ferè videas euenire, vt cùm Orator noster (Ecclesiasten enim piget vocare) maximè detonat furitque, & se quam tuendam susceptit personam optimè agere putat, tum verò maximè audiat, quod in frigidum Oratorem M. Tullius torsit, *tu istuc*, Callidi, *nisi fingeres, sic ageres.*

Verùm quoniam illa paulò generaliora sunt & his similia multa habent sapientes seculi; ea nunc attingemus quæ sibi deuotio tanquam propria in nostra arte vindicauit: illud enim (vt hoc in antecessum dicam) inter præcepta rhetorica τῶν ἔξω & Christianorum insanum magnum discrimen est, quòd illa Ingenium, hęc Conscientiam petant; (Ingenium & Conscientiam sumo non quo sensu illę voces apud Latinos, sed quomodo apud Nostrates linguâ vulgari appellantur) ferè autem dici non potest quàm illa à se inuicem distent Ingenium vel Conscientiã appellare, quámque prout tibi cum alterutro res est, oratio diuersè inflectenda sit

& figuræ variandę : amat enim Ingenium quæ ſingulari quodam acumine mentem pungunt, quæ præclaris alluſionibus nitent; quæ numeroſo orationis ambitu aptè cadunt; Conſcientia vt illa ſponte oblata aliquando non reijcit, ita ſtudioſè non quærit, minutiora enim eſſe putat quàm vt ijs debeat magnopere diſtineri.

Neque aliam profectò cauſam eſſe crediderim cur quæ Magiſtri ex Homero, Demoſthene & Cicerone tantopere celebrarunt, ea ſi quis nunc Eccleſiaſtes adhibeat, irrita ad aures cadant; nam neq; ſunt illa vetuſtate obſoleta, & eadem nunc eſt quæ olim erat hominum natura; quî fit itaque vt quæ fori & theatri plauſus ac clamores excitare meruerunt, nullum iam in animo aculeum relinquant? Nempe in alio foro & theatro verſaris quàm Viri illi verſabantur: vnicus tibi iudex teſtis atque auditor ſedet Conſcientia quam docere, incitare & delectare ſuſcepiſti; hoc eſt theatrum tuum, hoc forum; hoc induſtriæ tuæ propoſitum eſt, ſanè ampliſſimum præmium: quicquid itaque Conſcientiam nec docet, nec delectat,

Digitized by Google

nec mouet (quæ tria sibi Ecclesiastes proponit) illud extra artis tuę sphęram est, neque à te debet loco non suo venditari. Quare si περιβόητος ille locus, *& vos Albani tumuli* &c. vel illud decantatum, μὰ, τοὺς ἐν μαραθῶνι &c. aut certè aliquid simile Auditorum animos præterlabitur & frigidos dimittit, noli statim Auditorum tarditatem accusare; quin potius tuam præposteritatem agnosce, qui ea aliò transferas, quam quò authores, quos te profiteris imitari, primitus destinarunt: nam si ad nostra tempora illi peruenissent, & quam nos ornandam accepimus, spartam nacti essent, alia sibi topica, alios dicendi canones pro incredibili illa qua pollebant prudentia sibi confecissent; & pro eo quod naturas humanas & ingenij cui se probare studebant, penitissimos quosque recessus nosse, in magna artis parte ponebant; Christianorum Conscientiam explorare, omnia illius studia simul & fastidia cognoscere sategissent.

Tria autem sunt (vt ad singularia veniamus) quibus vsus deuotionis potissimum continetur: primum illud est, quòd cuius

Digitized by Google

Conscientiæ deuotione & zelo instincta est, ille quum Christum precibus ardentissimis precatur, & in illius sinum læta sua & tristia effundit, animum suum sentit ineffabili Christi charitate constringi; atque in eo meditationis suæ æstu multa timet, multa sperat, multa loquitur, quæ cùm in concione ad populum proponit, quisque se id ipsum aliquando expertum esse, incredibili cum voluptate meminit & sibi tacitè gratulatur: neque verò vereri ille debet ne quod animum suum concitauit, alij aspernétur: idem enim spiritus qui nobis, datus est Auditoribus aduocatus: sua itaque dicta agnoscit & porrò instar Echûs in Auditorum animo excipit & Ecclesiastæ reddit: quem Aduocatum qui non habuerit, potest docere, potest etiam structurâ verborum aures hominum titillare, permouere & concitare, quę est Oratoris laus maxima, sanè non potest.

Atque exinde alter deuotionis vsus maximè illustratur; nam quia eundem illum spiritum (quanquam non eâdem mensurâ) at eundem tamen spiritum qui Prophetas & Apostolos afflauit nobis Deus

Digitized by Google

admensus est, quum Virorum Sanctissimorum scripta legimus, si ad eam lectionem, non iam subtilitatem humanam, sed inflammatam deuotionem afferimus, multa erunt quę quia eadem fudit deuotio, & sunt prę cęteris vnctione Spiritus S. plena, magico quasi carmine nos ad se alliciunt & vinculis inexplicabilibus ad se trahunt: atque adeò vt experientiâ comprobatum est in Musicis chordam fidemve vnisonam tremere dum pulsatur quæ est æquisona & pariter tensa: ita mentes hominum, provt ad illam sublimitatem mentis quæ in Prophetis & Apostolis spirat, plus minùsue accedunt, ita plus minúsve pulsantur. Vultis ipsi rem experiri? duos homines videte quorum alter exiguum aut nullum, alter acerrimum deuotionis sensum habeat: ille, etiam quando Dauidis psalmos leget, totus languebit otioséque oscitabitur, nec planè intelliget quorsum à Viris pijs ea lectio tantopere commendetur, paratus, si Deo placet, tropos nimiùm audaces & temerarios virgulâ censoriâ notare: interea dum alter quem idem ille, qui Dauidem, Spiritus

pupugit, admiratione abreptus & quasi ebrius, cor suum inter legendum propè sentiet liquescere: atque eâ Spiritûs similitudo facit, vt si quæ sint in Scripturis ad deuotionem præ cæteris comparata, illa se homini deuoto etiam non quęsita, non tam sponte offerre, quàm vi ingerere videantur, quorum alter ne prima quidem vestigia leui conjecturâ deprehendit.

Tertius deuotionis, ísque longè maximus, hic est fructus, quòd qui eam magistram adhibet sua dicta & cogitata ad pietatem & τὸ ἠθικὸν omnia referat, neque animo suo satis factum vnquam putet, ni etiam ex abstrusissimis quibúsque religionis Christianæ mysterijs aliquid promat quod mores iuuet & Auditores meliores dimittat: illud autem est quod Veteres Patres simul sapientissimi simul doctissimi omnium optimè intellexerunt, atque adeò etiam felicissimè vsurparunt: vnus nobis erit instar omnium B. Iohannes, quem ab aureo orationis flumine Chrysostomum appellarunt, *qui cùm multa habeat quæ* (Viri Magni verba sunt) τὴν οὐκ ἐμπειρίαν αὐτοῦ τῆς φιλοσοφίας

περὶ τῆς φιλοκαλίας manifestò arguant, vt de historia nihil dicam, in qua pene puer aliquando possit videri, hoc tamen intensissimâ deuotione consequutus est, vt quia in eo suum omne studium posuit vt Auditores suos ad pietatem Christianam permoueret, optimi Ecclesiastæ ideam expressisse videatur. Quòd si eam viam Viri sapientissimi illis temporibus sibi insistendam putarunt, quibus succus ille & sanguis incorruptus religionis Christianæ nondum penitus exaruerat, quid nos par est facere qui in hac Christianissimi senectute contra ingruens vitiorum agmen stamus? Nostri itaque consilij summa huc redit, vt quandoquidem Ecclesiastes se Scripturarum profitetur interpretem, nihil omnino eorum prætermittat quæ ad loci intelligentiam pertinebunt, singulas voces, vocum etiam apices accuratè examinet; de cætero se in nosocomeio versari semper meminerit, Scripturam S. panaceam esse non huic aut illi morbo, sed omni, cuicuimodi illa sit, infirmitati sanandæ consecratam; nullum autem esse locum in toto verbo Dei, vtut alias diffi-

Digitized by Google

tilem, qui non possit in ijs quæ ad sensum grammaticalem attinent, intra horæ quadrantem perspicuè explanari, si modò superuacanea resecentur & inanis verborum sarcina reijciatur.

Hîc autem vitium omittere non possum, quod in Studiosis nos sæpissimè notare meminimus: nam cùm duæ sint partes religionis Christianæ, quarum altera eò spectat vt Fideles in Dei gratia & misericordia placidè acquiescant, altera eò pertinet vt salutem nostram cum timore & tremore operemur, quæ duo Apostolus simul conjunxit cap. 2. Epist. ad Phil. ℣. 12: *cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini, nam Deus est qui dat velle & perficere secundùm bene placitum suum*: video vos priori illi parti, fortè quia gratior accidit auribus Auditorum, nec Conscientiam regendi artem satis intelligitis diutissimè immorari, posteriorem istam dicis causâ & perfunctoriè tractare: nos vtram methodũ naturæ Euangelij, si ij essent homines qui esse deberent, maximè consentaneam esse, facilè concedimus; ita nostris temporibus con-

Digitized by Google

uenire pernegamus: multos enim esse qui doctrina de iustificatione gratuita, de absoluto electionis & reprobationis decreto, de perseuerantia Sanctorum ad suas cupiditates abutantur nos quotidie experimur, nec miramur, cum ipso Apostolorum æuo non deessent, qui eandem illam doctrinam ad vsus prauissimos detorquerent, vt S. Pauli querelæ & disputationes abundè probant: cuiusnam itaque stultitiæ fuerit nolle hac in parte Apostolos imitari?

Nam quandoquidem ille morbus iam tunc Ecclesiam Christianam infestabat, Apostolos illi malo remedium inuenisse par est existimare: atque illud ipsissimum est quod Iacobus cap. 2. Epistolæ suæ proponit: nam quia videbat Christianos doctrinam Pauli de *justificatione per fidem* aliorsum rapere, ille nos justificari per fidem simul & per opera multis probat: an quòd Iacobus Paulo contradiceret, & quòd Romæ Paulus ædificauerat, Hierosolymis Iacobus destrueret? μὴ γένοιτο, neque id Spiritus Dei sirit, qui vtriusque κατηχητὴς fuit; sed cùm vtraq; propositio, quanquam

quanquam sub diuerso verborum inuolucro, eundem sensum contineat catholicum, prudentiæ Apostolicæ fuit, modò hanc, modò illam, prout diuersa erant temporum & circunstantiarum momenta adhibere, vt cùm oppositas in speciem vias insisterent, eòdem tamen, quia vterque fidem habebant dubeni, tandem peruenirent: nam vt ille demum summus Theologus dicendus est cui Deus loca superiùs citata ex Epistola ad Philipp. intelligere & inter se conciliare dederit; ita profectò optimus Conscientiæ institutor ille habendus erit, qui duas illas sententias specie oppositas, re consentientes, ad Ecclesiæ statum & tempora quibus viuit, applicare nouerit: Quare cùm res Ecclesiæ hisce temporibus pejori loco stare quàm temporibus Iacobi, tum Apostolorum doctrina sanctitásque citra exceptionem maxima; tum recens adhuc Christi exemplum facilè nos adducant vt credamus; nobis Iacobi vestigijs insistendum videtur, & pro eò quod Patres nostri Paulum in simili necessitatis casu imitati, justificationem per fidem perpetuò inculi-

cabant, debemus nos ad exemplum Iacobi neceſſitatem bonorum operum ad ſalutem opportunè importunè oggerere, neque priùs conquieſcere quàm peſtilentem illam opinionem ex hominum mentibus extirpauerimus, bona opera nullâ aliâ re magis commendari, quàm quòd ſint fidei ſigna atque indicia.

Atque illud eſt quod vel ſine monitore intelliget, qui ſe totum deuotioni addixerit: cum enim dolor ex hominum peccato acerrimus, quo Eccleſiaſtæ pio nullum poteſt adhiberi tormentum majus, dies noctéſque vret atque excruciabit, neque priùs ſomnum capere patietur quàm remedium illi malo, ſaltem pro modulo quæſierit: ſanè illud animi fuiſſe Paulo (quem tanquã perfecti Eccleſiaſtæ exemplar B. Chryſoſtomus ſibi propoſuit; nos tanti Viri authoritate adducti aliis proponimus) ipſius diuinæ epiſtolæ ſatis ſuperque fidem faciunt: nam qui in epiſtola ad Coloſ. profitetur *ſe in ſua carne adimplere reliquias afflictionum Chriſti pro corpore ipſius quod eſt Eccleſia*, voluiſſe videtur in ſuo animo reliquias afflictio-

num pro singulis fidelium peccatis adimplere : quis enim illa sine charitatis Apostolicæ admiratione legerit ? *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus, vellem adhuc nunc adesse apud Vos & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis.* cap. 4. ad Gal. Potuitne, Auditores, Pastoris erga gregem affectus & amor ineffabilis meliùs quam illo Pauli voto, & anxiâ illâ animi ἀνοίᾳ adumbrari ?

Quid illa ? *Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non cum venero tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportebat me gaudere : confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium vestrum est : nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas, non ut contristemini, sed ut cognoscatis charitatem quam habeo abundantissimam erga vos ;* & cap. VI poster. ad Corint. quam etsi paulò longiorem ῥῆσιν huc transcribi scio non ægre feremi devotionis cultores : *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustys, in*

plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam: vt seductores, & veraces: sicut qui ignoti & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut agentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes: os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est, non angustiamini in nobis: angustiamini autem in visceribus vestris: eandem autem habentes remunerationem (tanquam filijs dico) dilatemini & vos.

Verba nectarea & diuinitatis plena! quæ quotiescunque legimus, & nos eorum Ecclesiastarum subit memoria, qui caponantes verbum Dei pietatem lucrum esse putant, nec vllas Apostolici ardoris flammas sentiunt, dubitamus vtrum Apostoli felicitatem admiremur, an eorum homi-

Digitized by Google

num ſocordiam deploremus magis.

Hæc ferè ſunt quæ Paulo & ijs qui Paulum imitantur in toto Eccleſiaſtici muneris officio præſtat deuotio: quòd ſi eadem illæ quæ commentanti domi adfuit, populum alloquenti comes adſiſtat deuotio, vereri ſanè ille non debet ne parum attentos inueniat auditores: nam quomodo qui aues prædatorias ad venationem adhibent, id in primis curant, vt quo die illæ producuntur, earum natiuam voracitatem fames exacuat; nam ita acriùs volant & incredibili ardore ſe effundunt in prædam; ita Eccleſiaſtæ oratio, quem cùm in eo eſt vt concionem habeat ad populum, inexplebilis quædam animas ſeruandi fames fitíſque corripuit, hiſce quaſi alis ſubnecta, animis ocyùs illabetur, & eos vel etiam inuitos Chriſto aſſeret & vindicabit: quod beneficium Dei tantum eſt & tam ægregium, vt ſi aliter parari illud non poſſet, nulli tamen operæ, nullis laboribus, nullis moleſtijs parcere Eccleſiaſtes deberet, quò pretioſum adeò talentum à Dei gratia valeret impetrare.

Atenimuerò illud nullo ſuo labore,

Digitized by Google

nullâ moleſtiâ *à Deo qui dat ſapientiam petentibus benignè, nec exprobat*, Eccleſiaſtes impetrabit ſi quotieſcunque ei eſt pro concione perorandũ, primò, ſe Chriſti ſeruum eſſe meminerit, qui ambitioni ſuæ velificari minimè debeat, (quod *reti ſuo ſuffitum facere & ſacrificare plagis ſuis* diuinè dixit Scriptura) ſed quæ accepit talenta, ad Chriſti gloriam alacriter conferre teneatur : eò autem acriùs Eccleſiaſtam ſe in eam curam intendere conſentaneum eſt, quò illi hiſce remedijs plus quàm cæteri homines indigere vulgò putantur : nam cùm φιλαυτία ſit generi humano innatus & propè fatalis morbus, neſcio quomodo in Eccleſiaſtarum ordinem præcipuè (fortè quia è ſuperiori loco populum alloquuntur, nec vllum habent contradictorem) ea lues graſſata eſt : nam ſi qui ſint qui ſe & ſua ament, qui ſibi ſint ſuffeni, qui ſibi palpum obtrudant, concionatores eſſe nemo ignorat & prouerbia loquuntur, vt cùm eos ſacra ordinatio à cæteris hominibus valde diſterminet, hac in parte bis homines eſſe videantur.

Digitized by Google

Secundò, intensissimè Christum oret vt os suum aperiat & in dicendo deuotionis addat alacritatem & robur: quòd si se post illa frigidum & torpentem sentiat; tum Dauidis & Pauli, nec non meditationum Augustini lectione, quasi admoto igne accendat animum, neque priùs conquiescat quàm acri sensu pietatis excitatus rete jecerit in Christi nomine, & vt credidit, ita loquatur.

Atq; hæc de Deuotione dicta sufficiant, nunc de natura videamus, quam aliqua ex parte sequendam esse ducem, superiùs à nobis præstructum fuit: neque enim in Poëtica tantùm, sed & in omni arte tria hæc Aristotelis principia ὑπάλληλα obseruantur, ἡ φύσις, τὰ αὐτοσχεδιάσματα, ἡ τέχνη, *natura, initia rudia sine arte, ars ipsa*: quomodo itaque τὰ αὐτοσχεδιάσματα naturam non tollunt, sed supponunt, cùm nihil aliud sint, quàm primi conatus naturæ quæ suæ virtutis sibi conscia, eam conatur expedire; ita profectò ars τὰ αὐτοσχεδιάσματα & τὴν φύσιν adeò non extinguit, vt vtrumque contrà suis operationibus substernat; neque sibi suâ industriâ & la-

Digitized by Google

bore quidquam aliud proponat quàm naturam vel iuuare vel exornare; immò verò si quis rem paulò pressiùs examinet, facilè intelliget naturam esse artem rudem adhuc & imperfectam; artem verò esse ipsam naturam perfectam & consummatam: est enim natura sibi ipsi abundè sufficiens, alienæ industriæ minimè indiga, quæ si crebros actus exerceat & sibi in suis operationibus facilitatem paret, nomen mutat, & quæ primùm natura erat, postea ars vocatur.

Quæ quanquam de omni arte suo modo vera sunt & optimè dicuntur; in arte tamen dicendi & cogitandi proprio quodam iure locum habere intelliguntur: nam ad artes Mechanicas quod attinet, non tam videntur illæ esse natura, quàm naturæ quædam imitatio: quia enim natura se ad vilia illa opera non demittit, satis habet eorum exemplar & typum in majoribus exhibere: nam sanè domos ipsa non ædificat: at illa tamen omnia quæ in architecti pergula obseruantur secures, vectes, mallei, forcipes ab ijs specie distincta non sunt, quibus natura ad sua opificia vtitur:

Digitized by Google

hoc tantùm est discrimen, quòd quia opera naturæ sunt multò subtilioris contexturæ, quàm quæ artes ex naturæ imitatione moliuntur; ita instrumenta quibus vtitur natura, priora illa tantùm superent, quantum opera naturæ artis operibus antecellunt.

Sed enimvero in illis artibus quibus sermo & ratio diriguntur, vix naturam ab arte distinxeris: quod fortè Carneades volebat; cum testante Cicerone, nullam esse artem dicendi Athenis disputabat: nam si ars appelletur quę illa quæ sunt in vsu dicendi & ratiocinandi deprehensa & ab hominibus prudentibus & doctis obseruata, certâ quâdam methodo complectitur, planè insaniat qui talem esse aliquam dicendi & ratiocinandi artem neget; cùm libri Rhetorici & Dialectici passim omnium manibus terantur: at si ars sit *quæ cognitis penitúsque perspectis, & in vnum exitum spectantibus & nunquam fallentibus rebus*, naturæ ἔξωθεν addita, eam regit & gubernat, tum nullam esse dicendi artem cum Carneade affirmamus; *cum ita nati sumus*, neque enim pigebit

verba M. Tullij transcribere, *vt & blandiri & suppliciter insinuare ijs à quibus est petendum, & aduersarios minaciter terrere, & rem gestam exponere, & id quod intendimus confirmare, & id quod contrà dicitur refellere, & ad extremum deprecari aliquid, & conqueri possimus, quibus in rebus omnis oratorum versatur facultas, ad quæ si accedat consuetudo exercitatióq; & intelligendi prudentia acuetur & eloquendi celeritas incitabitur*, quam prudentiam intelligendi & eloquendi celeritatem si quis artem vocet, me non habebit magnopere repugnantem; qui ne à vulgo discedere & λογομαχίας mouere videamur, artem etiam vocamus; certè aliquid esse naturæ ab extrinseco superinductum, vt est ars pingendi in pictore, ars ædificandi in architecto (quod nunc artis nomine venit) nemo dixerit.

Nam si quam artem dicendi πολυτέχνον homines inuenissent, maximè disertos esse oporteret qui se Rhetoras & dicendi magistros amant vocari; maximè infantes quibus eorum hominum præcepta audire vel non licuit per otium, vel per con-

Digitized by Google

temptum non libuit : at contrà ſæpe euenire quis non videt, vt ferè infantes ſint qui in Rhetoricis docendis ærumnoſam terunt ætatem, innumerabiles eloquentes, etiam in illiteratorum turba, qui iſta nec didicerunt, nec curarunt : nos ſanè ita ſentimus majores in eloquentia Chriſtiana progreſſus eum facturum, qui virum eloquentem vel annum tantùm publicè dicentem audierit, quàm qui in Rhetorum officina conſenuerit : nam quia, vt loquitur Philoſophus, homo eſt πάντων ζώων μιμητικώτατον, quęcunque in animo eloquentiæ ſemina natura inſeuit, illâ ſimilitudine excitantur ; quæ contra præceptorum multitudo vel planè obtuit vel retardat.

Quo nos magis eorum ſiniſteritatem miramur, qui ſe tum maximè diſertos putant, quando orationem ſuam ad neſcio quas exiles regulas & à vulgi ſenſu abhorrentes accommodarunt : illa enim minuta Magiſtrorum præcepta à plebe deuorantur, ab hominibus paulo ſublimioris indolis facilè contemnuntur, à tardioribus ne intelliguntur quidem : ipſe Deſyderius

Digitized by Google

Erasmus, cuius alioqui judicium admiramur, dum hæc omnia libro, cui *Ecclesiastes* titulus est, nimis curiosè conquirit, Viris cordatis minùs satisfecit ; parum enim abest quin quia Rhetorum authoritatem sequitur, & illud argumentum alieno potiùs quàm suo iudicio exequitur, ad ineptias vir minimè ineptus delabatur.

Cauete tamen existimetis Rhetoricas institutiones à nobis in vniuersum damnari : quin nostra hæc est sententia ; quàm rem publicè & priuatim parum vtilem faciat qui regulas dicendi extra naturam assumat, tam Studiosorum conatus in dicendo adjuuare, qui Rhetoricos libros conscribat, in quibus quid natura in dicendo amet, quid contrà abhorreat ; quid aures prosequantur, quid respuant ex vsu hominum quotidiano & conuersatione obseruata, nudè & simpliciter proponat. Quòd si ijs obseruationibus quę sint quasi commentarij naturæ ars dicendi vniuersè opus habeat ; ijs artem concionandi potissimùm indigere parum sagax est qui ipse non deprehendit ; tardus qui ab alijs admonitus non intelligit.

Digitized by Google

Nam tum Natura sese maximè promit atque exerit, quum in conuersatione familiari ex tempore ea fundit quę vel voluptas, vel dolor, vel spes dictat: ibi enim verè *eripitur persona, manet res*, & natura nulla arte adulterata sese quasi nudam oculis spectandam exhibet: at cœlum à terra magis non distat, quam idem à seipso Ecclesiastes differt, prout vel amicum domi vel populum publicè alloquitur: nam qui in priuato colloquio de re aliqua dixerat quod res erat, nullis adhibitis vocum ampullis, quíque illustrationes suas ex obuijs quibusuis rebus & maximè notis petebat, & eo quidem vocis accentu, eo motu manuum atq; oculorum, qui si gratissimus non erat; at erat tamen & rei quam agebat & suæ dignitati satis accommodatus: postquam sibi è loco superiori dicendum videt, tum mutatâ personâ, suę dignitatis maximè esse existimat, si nihil ex priuato illo habitu retinere videatur: nam qui πάῤῥω τῆς ἐπιβολῆς, miseriam humanam, exempli gratiâ, ex ijs quæ omnes homines circunstant repręsentauit; pro concionę ad populum omnia in immen-

sum auget, neque priùs finem facit quàm humanos labores tragico cothurno exaggerarit; quorum quia Auditores sibi minimè conscij sunt, ita ad se magis pertinere non putant quàm Bellerophontis infelicitatem aut Sisypheos labores: qui voce modo inflexa, modò acuta, modò graui vtebatur, prout illa erant quæ narrabat; postquàm se in cathedram cuectum videt, buccis inflatis, quod scioli emphasin vocant, ab initio vsque ad finem eodem vocis tono omnia effundit veriùs quàm loquitur: denique qui eo vultu rem narrauit, in quo tanquam in speculo, varios motus animæ expressit, ille primo statim proœmio vultum vel ad tristitiam vel ad hilaritatem componit, atque eundem in toto orationis cursu seruat, ferè quasi si quis cytharam ad eandem chordam semper pulsaret.

At ea tamen, dixeris, non plebs modò, sed & docti pulchra putant: sanè, quòd consuetudo quæ concionatoris animum, eadem Auditorum aures corruperit, vt neque ille quidquam melius animo præcipiat, neque illi quidquam requirant:

Quod si ex ijs mundi regionibus in quibus praua consuetudo aures nondum infecit, adessent auditores; aut vehementer fallimur, aut totum illud quod nostri tantopere amant, sonoras ineptias & pædagogicam affectationem vocarent: & nos quidem consuetudinem regnare facilè pateremur, si quomodo in nutricatione corporis, illa naturæ officio benè & fideliter fungeretur: quomodo enim Medici si quem videant parum salubribus cibis, immò & palàm venenatis assuetum, non ideo eum statim ad cibos meliores retrahunt, tum quòd consuetudo naturæ officium satis, laudabiliter præstet; tum verò in primis quòd in naturæ locum succedens, vim naturæ penitus extinxerit: hîc omnia contraria: nam neq; consuetudo naturæ officio in arte concionandi satis bene fungitur; nec naturam penitus sustulit; sed è solio deturbatam ad vitam priuatam compulit, vbi illa locum suum, quoquo modo potest, tuetur, & sese hominibus, quanquam in tenui habitu conspiciendam præbet. Quare nostra in eo tota versari debet industria, non vt nouam artem con-

Digitized by Google

damus, sed vt naturam ex illis vitæ priuatæ tenebris, in publicam hominum lucem post-liminio reuocemus, & in solio, in quo superioribus retrò sęculis sedit, quantum in nobis est collocemus: atque illud est quod nunc facere instituimus, non tam vt dicendi præcepta ponamus, quam vt nostram de toto hoc genere sententiam compendiosè proponamus.

Primùm itaque illud Ecclesiasticæ curandum arbitramur vt sedulò inuestiget, quánam sibi in tota hac dicendi arte partes natura demandarit: illa enim suum cuiq; vt vultum, ita & stylum & orationis formam finxit; à qua quantum quis vel ex præpostera institutione, vel ex peruersa imitatione recesserit, à natura tantùm recesserit: cùm enim naturarum humanarum incredibilis propè sit diuersitas, non minorem esse orationis, quæ naturam sequitur, diuersitatem consentaneum est vt dicamus; alios genus dicendi sublime, alios mediocre, multos humile & simplex decet: alij ad incitatam & feruentem, multi ad remissam & lenem apti & idonei nascuntur: qualem etiam diuersitatem in

viris

viris sanctissimis deprehendimus: *in Athanasio suspicimus seriam ac sedulam docendi perspicuitatem; in Basilio præter subtilitatem, exosculamur piam ac mitem suauiloquentiam; in huius sodali Chrysostomo sponte profluentem orationis copiam amplectimur; in Cypriano spiritum veneramur martyrio dignum; in Hilario grandi materiæ parem grandiloquentiam, atque, vt ita loquar, cothurnum admiramur; in Ambrosio dulces quosdam aculeos & Episcopo dignam amamus verecundiam: in Hieronymo diuitem Scripturarum penum optimo iure laudamus; in Augustino subtilitatem incredibilem & disputandi libidinem infatigabilem meritò prædicamus*: quæ donorum tanta & tam multiplex varietas facit, vt cùm suis quisque dotibus summus sit, nullus sit tamen quem alteri sine exceptione anteponendum putes.

Hæc enim est naturæ, vel Dei potius qui naturæ author est, singularis sapientia, quòd cum hominum naturas diuersè figurarit, suam cuique pulchritudinem attribuerit, quam si quis repræsentet pu-

Digitized by Google

ram nec heterogenearum rerum admixtione deprauatam, approbatores habebit omnes qui judicio aliquid valebunt, admiratores etiam omnes quos ipsi arcana quædam ingeniorum cognatio conjunxerit; quod quia multi non intelligunt, quod genus dicendi vel Magistri amor & reuerentia, vel consuetudo probata in vulgus obtulit primum, illud inconsultâ naturâ sibi sumunt, atque ita fit vt cùm natura, quæ planè deleri non potuit, eos in vnam partem trahat; institutum verò aliorsum abducat, ex duobus ita inter se diuersis generibus quid tertium nascatur, quòd quia monstri simile est, nullos approbatores inuenit, ne eos quidem qui eundem errant errorem: *nam vt in operibus suis sapientissima natura omnia ἀλλόκοτα & mixta ex diuersis generibus auersatur atque abominatur, sic ὁ κατὰ φύσιν λόγος simplex est & μονοειδὴς, à qua natura lege in totum recedere nunquam sibi permittet sapiens.*

Audite verò quid affirmem, diço ex Studiosis vix millesimum quemque esse, qui quam ei natura signauit viam, eam

mistat; & suæ indoli obsequatur: nam quia vna aliqua est orationis forma, quam illi vident populo præ cæteris placere, in eam partem sui & suarum virium parum memores imprudentes feruntur; atq; ita fæpe fit vt optimas naturas pessimâ ambitione corrumpant peruertántque. Huic malo nos non aliud remedium opponimus quàm vt Studiosi, postquam bis terue exercitatorias conciones publicè recitarunt, seipsos primùm, deinde etiam magistros consulant, ecquámnam methodum sibi cum tali natura sequendam putent; quam postquam sine alieno iudicio, sine propriæ indolis conscientiâ semel inuenerint, eam constanti proposito prosequantur; neq; vel nouæ methodi inuentione, quæ suo authori magnam celebritátem fecerit, vel præpostera ambitione ab ea vnquam se dimoueri patiantur: sic si quis sit qui se ad genus dicendi simplex, nec vllis figurarum luminibus illustratum, à natura factum esse intelligat, quæ in genere simplici virtutes celebrantur perspicuitas, æquabilitas &c. eas sedulò excolat & frequentet: nam naturali illo sapore

aures tenebit & animos etiam, si modò adsit vox suauis & gestus non ineptè compositus, tacitâ quâdam voluptate titillabit; qui si in contrarium ruat & naturam expellere moliatur, statim audiet, *num vis esse eloquentior quàm potes?* Illud enim est Comici dictum quod nos Studiosorum auribus vsque ad fastidium occinimus, & vereor vt in æternum occinamus, ita illa morbus sese ad plures didicit.

Postquam certum erit Studioso hoc vel illud dicendi genus sequi; tum verò ei erit ad ea quæ instituto propiora sunt accedendum: quoniam autem tria sunt quæ efficere sibi orator proponit vt faciat fidem, vt delectet & moueat: nos quid natura tum in sententijs & elocutione; tum in pronuntiatione & gestu ad hæc tria consequenda potissimùm requirat hîc breuiter exponemus: & de Persuasione quidem quæ in tota arte facilè dominatur ante omnia videndum est: nam neque delectare pius Ecclesiastes laborat nisi vt faciat fidem; neq; incitare & inflammare Auditores quisquam potest nisi qui fecerit fidem.

Digitized by Google

Porrò ad perſuaſionem multa & propè innumera requiri, nemo eſt qui vel ex ipſa voce non ſtatim intelligat: poſſunt tamen illa in duabus claſſibus non incommodè collocari, vt alia ad Eccleſiaſtæ mores, alia verò ad ipſam Eccleſiaſtæ orationem pertineant: & vt de prioribus illis primùm dicam, ad perſuadendum caput eſt tum interiori animi decreto æquum eſſe; tum æquitatem animi exteriori ſermone præ ſe ferre: illud autem ferè in hiſce poſitum eſt vt Eccleſiaſtes Aduerſariorum ſententiam inuidiosè non proponat, propoſitam non exagitet odioſè, ſed quod laudabile eſt laudans, quod tolerabile eſt excuſans, in cæteris ſe moderatum erroris alieni cenſorem adhibeat: nam ſi mercenarios illos rabulas imitetur qui pecuniâ conducti id loquuntur, non quod animi ſententiæ maximè conuenit, ſed quod cauſæ quam defendendam ſumpſerunt, neceſſitas extorquet, hoc aget vt ſibi etiam quando vera dicet non credatur: quomodo enim ei aſſenſum dabis, qui ſe præ odio non eſſe ſatis ſui compotem, quæſitâ illâ verborum atrocitate te-

statur : quanquam sanè mutui sunt (vera enim nos dicere eadem quam hîc commendamus æquitas iubet) viri nec inhumani nec morosi, aut vllo affectu perturbari, qui contrà sentientes ijs verborum contumelijs è suggestu infectantur, quas familiari colloquio ab alijs auditas abhorrerent? Tanta vis est consuetudinis vt optimas naturas corrumpat, & rebus etiam pessimis addat lenocinium: quid enim magis absurdum, si à consuetudine abjeris, fingi potest quàm eundem illum hominem, cuius mores ad lenitatem fouxit natura, & qui ne aperte quidem improbos asperè vnquam & iracundè appellauit; immò qui cum infensissimis fidei hostibus crebra humanitatis exercet commercia; postquam in suggestum tanquam in proscenium prodijt, quasi magico carmine immutatum, repente feroculum & immitem apparere.

Spectatum admissi risum teneatis amici?

Minimè sanè, vt in re maximè ridicula, nisi nos Dei, cuius per inimicam illam ferociam causa periclitatur reuerentia nos teneret.

Digitized by Google

Quòd si quis iam quærat quâ viâ maximè illa animi mansuetudo parari queat; ille sic habeto, nihil mirari in religionis negotio rem vnam esse quæ possit moderatum facere: nam si quis hoc semel norit, nihil tam absurdum fingi posse quod titulo religionis promulgatum fautores alicubi non inueniat, nisi Dei gratia subueniat (cùm Muhammedes suos habeat cultores non minùs quàm nos subtiles & acutos; & reperti olim fuerint qui liberos suos Dæmonibus immolarint) qui, inquam, hæc & similia apud animum suum reputet, aut sese heterodoxis facilè placabilem dabit; aut causæ dicere nihil poterit quin stultissimus habeatur; cùm id sit non iam ampliùs hominibus, sed ipsi humanitati insultare. Enimverò si quis vnquam fuit Dei odio & hominum execratione dignus, eum fuisse Iudam Iscariotem, qui incredibili perfidiâ dominum vitæ prodidit, ipsi infantes norunt; at de Iuda tamen nihil grauius habent Apostoli quàm quòd *in locum suum concesserit*: quam animi lenitatem imitatus Augustinus, hoc inuincibili μακροθυμίᾳ

consequutus est vt plures hæreticos ad fidem Catholicam vnus traduceret quàm quotquot antè extiterant Ecclesiæ Doctores.

Alterum quod ad Ecclesiastę mores spectat, in eo versatur vt Ecclesiastes quoad eius fieri poterit vera; aut si id minùs licet, vero quàm simillima semper loquatur: persuasionem enim non aliter quam τῷ πιθανῷ obtineri nos in Rhetoricis Aristoteles, & ipse sensus naturę satis docet: neque verò alia videtur esse ratio cur Comœdiarum scriptores, quorum in natura imitanda tota occupatur industria, id maxime studeant vt quas scribunt fabulas, illę verisimilitudine tanquam fuco aliquo & pigmento colorentur: quæ si adsit, spectatores inani delusi vmbrâ à falsi idea aliquantisper abducentur; si absit, rei insolentiâ offendentur & actores explodent: tantus enim est & tam altè impressus à natura veritatis amor vt etiam in ipsis fabulis, quæ ficti titulo proponuntur, vel veritatis species delectet: Quòd si Poëtæ quorum quidlibet fingendi magna semper potestas fuit, sibi tamen hanc præsi-

Digitized by Google

xerunt legem, vt nihil vnquam fingerent quod à verisimilitudine discederet; quanto magis id doctores veritatis facere consentaneum est, qui à Deo in mandatis acceperunt vt primam omnium veritatum docerent & opera Diaboli qui mendax est ab initio confutarent.

At nullos tamen esse homines qui ab ea norma magis recedant quàm Ecclesiastarum genus, vetus est & de multis non iniqua fortè querela: nam quia eum demum putant eloquenter dicere, qui de qualibet re proposita nihil mediocriter, omnia splendidè & magnificè loquatur, dum modò de rei summa vera dicant; de cætero in ijs quibus veritas ornatur vel illustratur, veris addere parum ijs religio est: vnde porrò fit vt quid dicant, non de qua re dicant attendentes, nullũ exaggerandi vel deprimendi faciant modum. sic si quando peruersos & in peius ruentes Auditorum mores deplorent, nihil sibi ad summam nequitiam describendam reliqui faciunt & magno verborum strepitu ea aliquando deblaterant, ex quibus si quis Auditorum mores æstimet, paratus

sit dejerare eos esse Thyeste, Busiride & toto illo nefariorum hominum choragio nequiores.

Quid quòd quando occurrit casus, cui locos oratorios Magistri non inuenerunt, quòd à Veterum consuetudine nostri mores abhorreant; vt si exempli gratiâ, reprehendendi veniant qui non sine Ecclesiæ contumelia, quæ rem sapientissimè interdixit, scenicos ludos frequentant: vel qui aleâ totos dies perdût & res suas pessundant, Rhetores isti magniloqui verborum suorum tragœdias, quas ad locum de adulterio & de furto instruxerant, nullo iudicio in rem præsentem expromunt. Quid plura? Res eò adducta est vt cum vna & eadem sit simplex atque immutabilis veritas, verum tamen in id quod *Theologicè* & *concionatoriè* verum est, vulgò distinguant. Homines inconsulti qui nondum discere potuerunt nihil esse natiuo illo colore veritatis, qui non in verbis modò, sed & in voce, in vultu & toto habitu corporis eluceſcit ad persuadendum aptius: tum quia qui veritati obsequutus dicit de quaque re quod res est,

nunquam ineptit (illud autem concionatorem non ineptire, Deum immortalem! quantum quantum est!) & præterea à se omnis declamatoriæ vanitatis suspicionem amolitur: tum quia est in sermonis morati probabilitate natiua quædam pulchritudo quæ virum prudentem ἴυγγι arcanâ deuincit & naturam leniter demulcet: quam contrà affectatus & supra rem assurgens sermo lædit; quomodo ferè pictura similis delectat, quæ à vero abit, vt si humano capiti pictor ceruicem equinam iungat, oculos lædet.

Vultis verò rem vobis declarari exemplo? Fingite duos Ecclesiastas esse, qui hæc verba Pauli ad Timot. cap. vi. *ijs qui diuites sunt in hoc sæculo, denuntiæ ne efferantur animo* &c. enarrare instituant: alter autem vt diuitiarum inanitatem probet, aurum & argentum præfulgentem esse terræ spumam, onus telluris inutile quod nec nutriendo nec tegendo corpori sit idoneum: naturæ excrementum quod ne foras quidem proferre dignetur, sed intus in visceribus abscondat, multis declamitet: alter verò primo statim introitu

fassus id quod res est, magnum esse in diuitijs ad multa vitæ commoda paratum præsidium, nihil tamen causæ esse in progressu ostendat cur quis sibi inde magnam fiduciam & ingentes spiritus sumat: nam & hominum fraudi esse opportunas; & tinea æruginéque corrumpi; & igne absumi, & naufragio sæpe perire; & vt propriæ atque stabiles maneant, breuem esse earum fructum hominibus; mortem enim quæ nullo discrimine regum turres & pauperum tabernas pulsat, dominum opibus seriùs ocyùs præripere &c. Quæritur vter ad persuadendũ magis accommodatè dixisse videatur: nos huic sine controuersia palmam deferendam putamus; non desunt qui eam priori illi deferant. Quis verò eam litem componet? Natura quæ dicendi optima magistra est, & rum, vt superiùs monuimus, maximè pura & sincera quando theatro & consuetudini non seruit: iam verò phaleratæ illæ sententiæ de natura auri & argenti, si vel pedem vnum extra suggestum efferantur, statim putissent neque ad vsum applicari possunt; vt si ei adsit discipulus, cui ea-

dem illa, quæ Paulus olim Timotheo ſuadere ſuſcipiat, neque ea adhibere ille ſuſtineat, & ſi adhibeat, ſe irrideri diſcipulus meritò exiſtimet: eadem itaque, aut ſanè his gemina quæ alter publicè è cathedra propoſuit, familiariter exponet, & rejectis philoſophicis illis nænijs quarum vſus pridem apud homines obſoleuit; per notos & ſenſui communi aptos caſus diſcipulum à ſtulta opum admiratione reuocabit. Potuitne verò natura clariùs teſtari ſibi moratum & politicum ſermonem magis placere quàm declamatoria illa μεγαλοφρονήματα, cùm quando veras audire & reddere voces maximè optamus, vel repugnantes in eam partem propellat?

Ex quibus, me etiam tacente, iam intelligitis nobis non probari qui paradoxis, tanquam ſtimulis quibusdam, Auditorum animos pungere ſubinde ſolent: nam quod proponunt vel à vulgi opinione & ſenſu reuera remotum eſt; vel in ſpeciem tantùm diſcedens, vt cùm idem illi quod cæteri omnes loquantur, verba tamen inter ſe pugnare & ſibi inuicem aduerſari vi-

deantur: & prius quidem illud cùm in Religione & Ethica pestilentissimum est; cum verò persuasioni in primis maximè contrarium: posterius viro sapienti, maximè Ecclesiasta indignum est, & si luci ostendatur, propemodum puerile: verbis enim luctare & sibi in re leuissima plausum quærere angusti animi est, qui cùm rerum ipsarum majestate se tueri nequeat, ex vocum apicibus petat subsidium, & quod dici solet, fluctus excitet in simpulo excipio tamen si quid sit eximiè præclarum & cum ingenio religionis Christianæ insigniter congruens: neque enim potest quicquam tam vniuersaliter laudari, quod præposterè vsurpatum non sordescat: nihil tam vniuersaliter improbari, quod loco & tempore exhibitum propriam non habeat dignitatem. Illa autem quia certam non habent notam regi debent & definiri prudentiâ; *quasi adsit præceptiones aquoscuntur potius quàm discuntur; si non adsit, ars efficit vt pessimè ac molestissimè dicamus.*

Hactenus de ijs quibus mores Ecclesiastæ commendantur; sequuntur ea quæ

ad ipsam Ecclesiastæ orationem commendandam magis propriè attinent; illa autem omnia ferè posita sunt in τῷ διδακτικῷ: fidem enim cuiquam adhibere non possumus, ne quidem quando id maximè optamus, nisi rationes idoneæ proponantur; proponi porrò rationes non possunt nisi adsit doctrina quæ optimum est & propè vnicum persuasionis vehiculum. Quod vtinam Studiosi intelligerent: nam quia illud sibi tempus omne perire putant quod affectibus commouendis, vel ingenioſis sensibus conquirendis non impenditur; ideo τὸ διδακτικὸν securi; nihil aliud quàm paratragœdiant; vel sententiarum argutias ambitioſè consarcinant; Quibus si quis clarissimè demonstrarit propositionem doctrinæ adeò persuasioni nihil officere, vt eam magnopere adjuuet, nihilo magis proficiat quàm si surdo fabulam narret: dicent, *sunt ista vt vis, at nos doctrinam Professoribus Theologiæ relinquimus: abstrusa curent qui abstrusa amant: nos non eruditionis, sed eloquentiæ famam ambimus, quam si semel assequamur, sublimi feriemus sidera vertice.*

Intelligo; at, O vos homines delicatuli, qui ad τὸ διδακτικὸν propemodum nauseatis, aliquid audite quod vestris finibus conducat: affirmo atque contendo magnam esse ad concitandos auditores vim positam in docendo.

Nam vt hîc non dicam doctrinam, si cum authoritate proponatur (quod est eximiæ cuiusdam & raræ præstantiæ) magnam Ecclesiasticæ conciliare authoritatem; at illud, etiam si nihil aliud esset, quanti apud Viros iudicioſos esse debet, quòd nodi qui incurrit difficilis solutione doctorum, discendi cupiditate attentio excitatur, imperitorum ipsâ etiam difficultate proritatur; omnium doctorum simul & indoctorum reficitur & nouas sumit vires; vt eò vehementiùs affectus concitentur, quò diutiùs in imo pectore otioſi resederunt: ita enim sunt omnes homines à naturâ comparati, vt rerum etiam pulcherrimarum satietas animo facilè obrepat, nî aliquâ diuersitate distinguantur: quid enim vastis & longè patentibus campis amœnius, verno præsertim tempore cùm in herbescenti segetum viriditate certa

terra messis futurę spes apparet: peregrinantium tamen vna omnium vox est, nihil posse sibi gratius contingere quàm si post emensam agrorum apricam planiciem, per syluæ opacæ vmbracula incedant: ita si postquam concionator per amœna figurarum Auditores suos circunduxit, eos in doctrinæ opacitatem intromittat, dici propè non potest quantum ea varietas audientis leuet fastidium, & dicentis animum oblectet pulmonesque vocis mutatione reficiat.

Porrò duo sunt quæ in τῷ διδακτικῷ seruanda existimamus; primò, vt simpliciter; deinde vt ordine quàm fieri poterit aptissimo doceatur: ex duobus autem hisce, simplicitate dico & ordine, perspicuitas nascetur, quæ est orationis laus facilè primaria: Cæterùm cum simplicitas vel in rebus ipsis, vel in vocibus consistat, de posteriori ista priori loco dicendum videtur: & simpliciter quidem quoad voces docet, qui rejecto inani epithetorum apparatu, sine tropis & figuris, summâ sermonis breuitate rem declarat. Enimverò illa simplicitas quæ sciolis tam facilè

Digitized by Google

parabilis videtur, dici vix potest quàm multo sudore væneat; tùm quia in tot & tantis vitiorum extremorum illecebris, simplicitatem eligere, quæ solo natiuo lepore se commendat, subactissimi iudicij est, cui falsa rerum species non imponat: tùm verò in primis quòd consuetudo, quæ se hic si vsquam alibi importunè ingerit, vi extrudenda sit: nam cùm qui sacris concionibus funguntur, ad clepsydram (vt olim veteres patroni) Auditores alloquantur, & sibi præterea (in quo sanè eorum quàm veterum oratorum multò pejor est conditio) eam necessitatem ipsi fecerint, quodcunque argumentum nacti fuerint, in illud totam horam impendendi, illud euenire necesse est, vt quam illi prolixitatem ambiunt, cùm rerum copiâ assequi non possint, verborum multitudine adimpleant.

Sic si instituant probare, non potuisse nobis remissionem peccatorum aliter constare; quam si Iesus Christus moreretur pro nobis, quòd pati non possit iudex terræ vt peccatori sit impunè, ne ea clementia homines mali ad nequitiam abu-

Digitized by Google

tantur: quæ vt videtis clara sunt & doceri contenta negant ornaai; Studiosi qui ferè elumbe & laxum putant quicquid est simplex, in hunc fermè modum rem proponent: *non aliter gloria cœlesti & immortali frui homines potuisse, quàmsi filius ille vnigenitus Dei, cuius summa erat & inenarrabilis gloria apud Patrem, ex domicilio æterno in vallem hancce lacrymarum descenderet vt super ignominiosa cruce, sanguinem suum pretiosum funderet, atque ita iram Patris quæ erat aduersus genus humanum mirum in modum inflammata, nobis placaret, ne homines quorum cogitationes nihil sunt nisi malum omni tempore, illâ Dei bonitate & misericordiâ abutentes, & peccati atrocitatem non satis reputantes, in impietatem, intemperantiâ & iniustitiam præcipites ruerent:* O putidam & lacinioſam eloquentiam! primò enim in tumorem & χαυνότητα delabuntur, quam sola potest tollere sensuum copia, &, vt loquitur Hermogenes, πυκνότης ἐννοιῶν: secundò, attentionem Auditorum, quam oportebat circa νοήσεις occupari, ad alia distrahunt, attentio porrò

verbis districta, minùs se ad res ipsas intendit: tertiò, sub verborum aceruo sensus condunt qui emergere magis non possunt, quàm radij solis ex densa & atra nube emicare, atque ita dum vtrumque facere satagunt vt doceant & moueant Auditores, neutrum præstant: denique, eorum hominum stylus totus est χολικὸς, non grauis & politicus, qui si ad vitæ vsum transferatur, concionatoriæ aut pædagogicæ vanitatis statim arguetur.

Et scio quidem ego innumeros inueniri qui hoc orationis vitium soleant arte & numerosâ vocum structurâ incrustare; *in quorum sermone nullum nisi loco positum & tanquam in vermiculato emblemate structum videas*: at illi sanè id unum suâ diligentiâ assequuntur vt aures & imaginationem, quæ aurium ductum sequitur, inani verborum sono deludant: cæterùm ne hominis quidem rusticani iudicio imponunt, qui quanquam ex ignorantia nihil melius desideret, oblatum tamen tacito naturę instinctu statim dignoscit.

Nempe hoc illud est quod sępè dicere soleo nullum esse certius apud doctos pa-

Digitized by Google

riter & indoctos bonę concionis indicium quàm si domũ reuersi plura memoriâ meminerint: nam vt non optima semper sit, quæ memorię statim tenacissimè imprimitur, hoc sanè mihi videor posse contendere pessimam esse cui ista nota non adest, tolerabilem cui adest.

Quod autem qui alioqui memoriâ valent ex concione pauciſſima bonæ frugis recondant, id fit vt plurimùm ex duabus hiſce cauſis, vel ſi non ſit ſatis ordinata, qua de re infrà videbimus: vel ſi rerum vacua, artificioſâ tantùm vocum ſyntheſi niteat; quia enim verba alata ſunt, memoriam facilè prętereuehuntur neq; vllum ſuî veſtigium relinquunt, niſi ijs ex rebus ipſis authoritas tanquam pondus accedat; quod ſcire poſſum cùm rei ſępius experimentum fecerim: iubebam tyronem iudicij experiundi causâ librum typis evulgatum legere, quem ſcirem magnâ & inani verborum copiâ redundare; at in quo alioqui multa eſſent quæ lectorem ad iudicandum minùs firmum ineſcarent, magna authoris fama, elegans editio & quæ ſuâ venuſtate oculos teneret, adſtricto

Digitized by Google

numeris periodi & leniter cadentes; præfatio quæ simulatâ modestiâ magna minitaretur, & si quę sunt alia quę vanæ iuuentutis esca sunt: nunc quàm bellè mihi hoc consilium succesſerit accipite: vix tres quatuorue exacti erant dies, cùm iste noster lector ad nos redibat hians & sui præ admiratione parùm compos: ibi ego ex vultu facilè faciens conjecturam; & tibi, inquam, admirabilis videtur: illa laudare, mirari, neque voces satis idoneas posse inuenire, quibus dignis, vti quidem illi videbatur, authorem eueheret encomijs: rectè, inquam, nam certè famæ authoris consentanea loqueris; at tu ne nobis istas quæso diuitias inuideto, & quandoquidem ea propiùs examinare nobis non licet, facito nobis dicas quid tandem præ cæteris egregium inueneris, quod mentem tantopere pupugerit? Ibi ille obmutescere, excutere memoriam, æstuare, neq; hinc tamen quidquam quod nauci esset expromere; denique memoriam incusare, se insigniter obliuiosum esse miserè quiritari: ridere ego, qui non lectoris memoriam, sed orationis fungo-

Digitized by Google

ſitatem tacitus apud me accuſabam : tota enim illa ſyntheſeos concinnitas & harmonia ſæpe pendet ex voculæ poſitura, quæ ſi animo excidat, quæ ſuperſunt nihil aliud ſunt ampliùs quàm disjecta rudera, quæ nullo vnquam vinculo memoriæ adſtringantur.

Iſta autem omnia incommoda facilè vitauerit primò, qui proprietatum in ſingulis verbis retinens erit : dein, qui nullum epithetum, nullum tropum, nullam vocem denique adhibebit, quâ reuulsâ ſua nihilominus toti ſententiæ vis maneat atque integritas; & vt verbo omnia complectar, qui quum docebit, hoc vnum aget vt doceat, atque adeò in cuius ſtylo, geſtu & ipſo corporis habitu aliqua erit dignitas quæ Doctoris perſonæ conueniat.

Atque ea eſt in verbis ſimplicitas Magiſtris tantopere laudata, quam qui non habuerit Eccleſiaſtes, explodetur, qui habuerit, non magnopere laudabitur, cùm id vnum ferè apud plebem eâ re conſequatur vt ſe omnes dicturos fuiſſe putent quod audiuerunt : ſupereſt vt de ea ſim-

Digitized by Google

plicitate quam in rebus ipsis esse positam superiùs diximus, breuiter hic agamus: illa porro simplicitas, haut paulò difficilior est quàm altera illa ad explicandum; cùm ipsi ne nomen quidem satis commodum Rhetores inuenerint; nam quòd à nobis simplicitas vocatur, id planè fit homonymôs, simplex enim proximè superiori articulo nobis dicebatur quod Græci vocant ἁφελὲς, hoc est, non affectatum, non fucatum; item, exponente Hesychio; cui nihil quicquam superfluum est nec deest: hîc simplex nobis dicitur quod ex pluribus heterogeneis mixtum non est atq; compositum: simplicitatem enim illam quæ est in rebus vocamus, *cùm quis varias vocis eódem quidem spectantes, sed tamen diuersas, sine necessitate non congerit; quin certam animi ideam tanquam filum sequutus, non priùs inde abit, quàm qua præsenti instituto conueniunt omnia, sedulò excusserit.*

Hoc verò mihi concedite, Auditores, vt quoniam in ea parte totius artis nostræ summa ferè posita est, eam ego exemplis adductis declarem, quandoquidem ea res

eſt quæ aliter quàm exemplis declarari nequeat. Aggreditur quis locum qui habetur cap. 10. Epiſt. ad Heb. pro concione ad populum explanare, *horrendum eſt incidere in manus Dei vivi*, ſtatim trita illa de Sodoma & Gomorrha; de Core Dathan & Abiram; de Iſraëlitarum exitio in deſerto, de templi Hieroſolymitani ruina, de Prophetæ dira morte quæ 1. Reg. per totum caput decimum tertium narratur, & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi ſeſe illius animo ſponte objicient; nam & trita ſunt & nulli non dicta; narrabit itaque Sodomam & Gomorrham quas flamma cœleſtis abſumpſit; Core, Dathan & Abiram, quos terra Deo mandante abſorbuit; ipſum montem Morija qui ſuâ majeſtate orbatus, ſub Turcarum tyrannide gemere videatur, iræ Dei vltricis eſſe illuſtriſſima monumenta, & tu, ô Propheta (nam ne quid illius orationi deeſſe videatur, ei etiam apoſtrophen, quæ iuuenilis eſt figura, libenter concedimus) quem à Deo immiſſus immanis leo &c.

Hæc ferè erunt exempla quibus ille locum de ira Dei implacabili illuſtrabit, de

Digitized by Google

quibus si quis nostram exquirat sententiam, liberè, vti mens est mos, quod sentio dicam, ista vt nobis magnopere non displicent, ita etiam nec magnopere nobis probari, quando ex tribus quæ sibi orator facienda proponit, nullum egregiè præstare possunt, non docent, quia nemo ferè est qui ea templum ingrediens ignoraret: non mouent, quòd animum suâ multitudine non tam flectant quàm obruant: denique non delectant, si quidem nullâ venustate aut acumine commendantur.

Quid tu igitur? Quæsierit hic aliquis. Scilicet ex hisce quatuor vnum præ cæteris egregium eligendum arbitramur, ad quod, vt perfectissimum in vnoquoque genere est mensura cæterorum, alia referantur; vt si quis ita ordiatur: *posse equidem se magna ὀργῆς Dei & tremenda exempla ex Dei Verbo recitare; neque enim quenquam esse in cœtu, in rebus ad religionem Christianam spectantibus ita infeliciter institutum, qui de Core, Dathan & Abiram; de Hierosolymorum & Templi destructione non aliquando audi-*

uerit : at ſtatuiſſe ſe cæteris prætermiſſis exemplum proponere, quod quanquam rei famâ, & hominum numero ac dignitate longè infrà ſubſidat, tale ſit tamen, quod qui audierit, ei ſint ambæ aures tinnituræ (ecce iam tibi arrectos Auditorum animos qui quid rei ſit auide expectent) perget, *Prophetam eſſe quem Deo mandante, leo enecarit :* atque ibi jam omnes hiſtoriæ circunſtantias quæ ad rem faciunt penſitabit : *Prophetam infelicem Ieroboamis altari, Deo ita iubente, extrema prædixiſſe, eum non tyranni ferociam, non mortis crudeliſſimæ periculum potuiſſe abſterrere, quominus coram Rege, quod à Deo in mandatis acceperat, palam annuntiaret : nec verò quæ ſequuta ſunt diſſenſiſſe, inuitatum à Rege ad cœnam, regias delicias non ſine deteſtatione contempſiſſe ; quòd ſibi ſeueriſſimè interdictum meminiſſet ne panem in ea regione ederet neque uinum guſtaret : hactenus iræ diuinæ ne oblatum quidem prætextum fuiſſe : poſtilla ad eum veniſſe : quemnam tandem ? Senem primùm, deinde & Prophetam qui non ſuis, ſed Dei ipſius verbis ad mandu-*

Digitized by Google

candum vocaret, credidisse itaque, (quis enim Propheta seni non crederet?) iuisse, accubuisse, & fame, vt credibile est, impellente, Prophetam cum Propheta manducasse. Quid verò ex ea re sequutum est? Audite. Ferox leo, in media Palæstina quæ leonibus infestari non solet, meridie ipso, in hominem inuasit & ei historia Scriptura, cuius est stupenda in sensibus breuitas, caput integrum impendit: quis verò ad hanc auditionem non trepidet? Quis animo erit aduersus Dei iram adeò obfirmato, qui intimis sensibus totus non cohorrescat? Nam, Domine, hanc quæso veniam mihi concede vt causam serui tui agam aduersus te: it. ne iudex terræ non faciet iudicium? tenebatúrne verò ille scire virum quem tu tibi in Prophetam adsciuisses, tuum nomen suo mendacio prætexturum &c. Quæ si ad corruptos hominum mores traducantur, dici ferè non potest quantum ad mouendam conscientiam valitura sint.

Innumera alia sunt eiusdem notæ; vnum adhuc tamen in tyronum gratiam majoris claritatis ergo recensebo: fingo Eccle-

Digitized by Google

ſiaſtam eſſe qui ſuos Auditores ad charitatem exemplo propoſito exſtimulare decreuerit ; ille ſi animi impetum ſequatur, ea omnia illico effundet quæ in vtroque Teſtamento habentur inſignia charitatis exempla : illa enim ſunt ſine vllo labore cogitandi , vel ipſis cerdonibus obuia & familiaria : quod ſi faciat Eccleſiam Dei multo ædificabit efficaciùs quàm qui ex Valerio Maximo & alijs decantata illa charitatis Paganicæ exempla collegerit ; hoc enim ſingulare habet Verbum Dei quod illius commemoratio animo pio ſemper gratiſſima accidit : at qui in ſingulari aliquo exemplo pedem ſiſtat, quod Auditoribus eâ parte contemplandum proponat , quâ maximè conſpicuum eſt, næ ille acriùs animum feriat.

Sic ſi in homine Samaritano, cuius ſiue hiſtoria ſiue parabole narratur apud Lucam cap. 10. charitatis Chriſtianæ typum atque exemplar quærat , dicet, eum cui Samaritanus ſuppetias tulerit , Iudæum fuiſſe, inter Iudęos autem & Samaritanos capitalia odia exarſiſſe ; cauiſſe enim Iudæos vt qui cum Samaritano habitaret,

Digitized by Google

eodem esset loco ac si carne porcina vesceretur, neque verò id solùm, sed totam Samaritanam gentem per mysterium nominis tetragrammati & per Scripturam descriptam in tabulis, adhibitis ad eam rem trecentis libris legis & trecentis buccinis, anathemate vtriusque fori superioris & inferioris percussisse: potuisse itaq; Samaritanum vereri ne si à Iudæis in officio occupatus deprehenderetur, in se hominis sauciati suspicio recideret, & vt erat implacabilis Iudæorum aduersus Samaritanos furor, alieni criminis pœnas daret: præsertim cùm denegatę opis parata ei esset excusatio apud omnes æquos iudices sanè fauorabilis, Samaritanum charitatis officio non teneri, quod ij qui sanctitate inter Iudæos præcellebant, Sacerdotes & Leuitæ refugissent: sed enim charitatem quæ ingeniosa est in iuuando, in deprecando officio plusquàm hebetem esse: accurrisse itaque Samaritanum suæ vitæ & salutis incuriosum, obligasse vulnera, & quod est inusitatæ liberalitatis, τὰ ἰατρεῖα persoluisse &c.

Qui eam, inquam, methodum in locis

quibuſuis illuſtrandis ſequetur, hoc ex ſua diligentia præmium reportabit primò, quòd ſuam ipſe memoriam ſubleuabit, quam rerum diſpar multitudo diſſipat: ſecundò, quòd memoriam Auditorum multò fortiùs punget quàm ſi ea vt apud Euangeliſtam cubant, ſimpliciter proponat, ſunt enim illæ circunſtantiæ inſtar amenti quo fortiùs intorquetur oratio: tertiò, ſe repetitionum inanium faſtidio facilè eâ viâ liberabit, cui obnoxium eſſe neceſſe eſt qui ad quoduis argumentum omnia in aceruum indifferenter conijciat: quartò, ab homine illiterato facilè diſtinguetur: illa enim vt jacent in Scriptura commemorare, nullius non eſt qui oculos habeat; per varios reſpectus illuſtrare, non niſi labore & induſtriâ exercitati: quintò, animum qui cogitandi laborem fugit, hiſce quaſi vinculis remorabitur & conſtringet: denique judicium exercebit ſuum dum ex circunſtantijs quas loci, temporis, perſonarum &c. conſideratio innumeras ſuppeditat, alias reſpuet, alias inſtituto aptabit.

Quòd ſi ei plura eáque diuerſa conge-

Digitized by Google

rendi incumbat necessitas, ea vt vt aliàs dissipata & disjecta, ad vnam & quantum quidem fieri potest, simplicissimam ideam reuocare summæ cuiusdam est & eximiæ prudentiæ : vt si quis, exempli gratiâ, hoc sibi ostendendum sumat, *postquam in Dei sapientia mundus non cognouit Deum per sapientiam, placuisse Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes*, & eò tandem res adducatur vt conditio Christi stulta, si carneis sapientiæ humanæ oculis æstimetur, & contemptibilis describenda veniat; ecce tibi syluam rerum ex qua nemo sese vnquam feliciter expediet, nisi qui quomodo Aristoteles plurima ad vnam categoriam, ita singula illa ad vnam formam reducat : hæc enim, *Christum jacuisse in præsepi, comites sibi piscatores adsciuisse, suffixum fuisse in crucem* &c. sic confusè & solutè effusa, Auditores transuolant & somnum non tam excutiunt quàm adducunt.

At si postquam professus est paratum se esse demonstrare Deum omnia in Christo ad stultitiam & contemptum comparasse, vt nihil vllibi tam abjectum fingi queat quod

Digitized by Google

quod Christi vilitas non exsuperet, ita in sequentibus pergat: *quæ enim gens erat in vniuerso quam Gentiles maximè contemnebant? Natio Iudaïca: Christus Iudæus fuit: quænam in Palæstina regio Iudæis ipsis maximè contemptibilis? Galilæa, Galilæus fuit: quæ vrbs in Galilæa abiectissima? Nazaretha: Nazarethæ altus & educatus fuit: quænam Nazarethæ familia vilissima? Familia Ioſephi & Mariæ, quam nendo vitam toleraſſe accepimus: filius fuit Mariæ: quænam ars Nazaretæ habebatur ignobilissima? Ars fabrorum: in fabri officina versatus est, ipse faber fuit: quidnam est quod ratio humana omnium minimè intelligit? Vnum esse in tribus, & tria in vno: hæc fuit Iesu Nazareni doctrina, vnam esse essentiam in tribus personis, & tres personas in vna essentia: quinam inter Iudæos ab eloquentia & eruditione imparatissimi? Publicani & piscatores: Publicanos & piscatores tanti mysterij elegit præcones: Quodnam supplicium vilissimarum animarum? Crux, crucifixus fuit. I nunc, Paule, annuntia Corinthijs Iudæum: diuitibus Mariæ pau-*

Digitized by Google

percula filium, nobilibus fabrum, principibus crucifixum, Magistratibus virum seditionis nomine damnatum, Philosophis vnam in tribus personis essentiam.

Hæc paulò fusiùs ideò prosequuti sumus quòd eam partem omnes, quos quidem viderim, librorum Rhetoricorum scriptores prætermittant: cùm tamen in ea tantum situm sit, quantum nec vos intelligendo existimare, nec ego dicendo assequi queam: id vnum modò vobis cauendum erit ne (quia nulla est virtus quæ non habeat vitium in proximo, quod à recto vel minimum aberrantes excipiat) dum singula curiosiori oculo perlustratis, in μικρολογίαν incidatis, quæ nimiâ suâ diligentiâ aut orationem ab instituto auertat; aut dum minutiores quásque circunstantias aucupatur, de fæce hauriat.

Veniamus ad alterum quod Ecclesiastæ in docendo obseruandum diximus, vt ordine res proponat: & nos quidem quodnam diuisionis genus nobis videatur commodissimum, inferiùs dicemus, hoc tantùm, quod hujus est loci, nunc monebo, pessimè eos errare qui postquam in

Digitized by Google

duo triâue membra concionem generalissimè dispertiuerunt, se accuratissimi, hac quidem in parte, Ecclesiastæ officio functos putant: at profectò non ita est vt illi opinantur: *est enim dispositio per omnes materias totúmque earum corpus æqualiter fusa, sicut inuentio & elocutio:* cùm nihil sit tam exiguum quod generali partitione comprehensum, non debeat suis præterea proprijs locis & classibus contineri: vt cùm tota concio quatuor, exempli causâ, partibus generalibus absoluatur; vnaquæque porrò pars octo, nouem decémve membra, provt sunt res quæ narrantur, suo ambitu complectatur; quanquam enim illa exertè proponi non soleant, ne audientium memoria confundatur; sunt illa tamen norma ad quam ex dicentis instituto tota oratio inflectatur.

Quin si quæ sit sententia Scripturæ quæ suâ simplicitate proœmiales illas partitiones respuat: cuiusmodi illæ sunt, *indesinenter Deum orate, fugite omnem speciem mali* &c. ibi non abs re fuerit, etiam in media concione, rerum diuisiones nudè atque apertè proponere; putà, *quatuor*

esse species precum, quas debeant Christiani vsurpare : quatuor esse, quæ cùm habeant speciem boni, mala sint : itidem quatuor, quæ cùm habeant speciem mali, mediæ sunt naturæ nec bona nec mala, à quibus pariter nos iubeat Apostolus abstinere : neque enim sanè aliam viam esse video quâ in tanta argumenti amplitudine confusio euitetur, & dicentis animus interquiescat, cùm quod sunt in libro capita & sectiones quæ lectoris attentionem renouant, id ipsum sint in concione rerum singularum in sua capita distinctiones : vt hîc omittam magnam eâ re Ecclesiastæ ex opinione doctrinæ authoritatem parari, authoritatis autem præcipuam esse debere apud Ecclesiasten curam : nam qui doceant nos sanè plures passim videmus, qui cum authoritate doceant, imnò qui sciant quid sit cum authoritate docere, pauciſſimos.

Quid quòd conducibile fuerit in singularibus quibusuis vocibus aliquem ordinem seruare ; vt primo loco vox ponatur, quæ naturâ prima est ; secundò, quæ proximè sequitur, & sic deinceps ; sic in

humanæ corruptionis descriptione, multò accuratiùs faciat qui ab errore intellectûs ad peruersitatem voluntatis; à peruersitate voluntatis ad appetitûs ἀπαξίαν pergat, quàm qui ordine prępostero ab appetitu ad intellectum eat: illa enim accuratio etsi primo adspectu parum digna videatur quæ Ecclesiastæ otium occupet, hoc vtilitatis tamen dabit, primò, quòd memoriam adiuuabit, cui consulere omnino Ecclesiastę interest; deinde animum ad eruditam in scribendo & dicendo diligentiam paulatim finget.

Nunc tempus est vt ad alterum quod sibi Ecclesiastam proponere diximus, *vt postquam fecerit fidem moueat & inflammet Auditores;* propiùs iam accedamus: quanquam enim hęc duo *persuadere & incitare* Auditores genere non ita distincta sint, vt quod incitat Auditores nullam vim habeat ad persuadendum, vel quod ad persuadendum aptum est, ad percellendos Auditores vanum sit atque inane; cùm innumerabiles sint qui cùm illud vnum sibi facere proponant vt faciant fidem, alterum, de quo ne cogitant quidem vt ve-

ritatis assequuntur vt moueant concitentque Auditores: quanquam itaque hęc duo (idem enim iterum dicam) non sint toto genere diuersa, viri tamen prudentis est quum duo effectus ab eadem causa proficiscuntur, eos accuratè distinguere, & per proprios respectus contemplari. Nos igitur hoc nunc quærimus, *quid illud tandem sit per quod affectus adhibitâ oratione commouentur?* Quod profectò tantum est & tam præcellens bonum, vt qui id possit, eum nos ad Deum, quantum quidem homini licet, proximè accedere arbitremur, vt ne quis miretur si cùm tanta sit passim disertorum multitudo, tam rari eloquentes appareant.

Iftius autem raritatis causas propiùs attendenti duæ potissimùm occurrebant: Primò, naturę humanę imbecillitas quæ ad rem tantam nequeat suopte remigio assurgere: Secundò, peruersum hominum iudicium, qui de medijs quæ ad eloquentiam ducant, pessimè iudicent: & prius quidem illud quia non est ἐκ τῶν ἐφ' ἡμῖν, sub artis considerationem non cadit: Dei enim est naturam quàm optimam fingere

& quam optimam non finxit, virtute potenti emendare; artis, quæcunque tandem obtigit, eam quoquo modo adiuuare: illud itaque hîc vnum supereſt vt quæ ex perverſo iudicio & inolita conſuetudine homines peccant, diligenti naturę conſideratione corrigantur.

Nam quia Studioſi eum demum eſſe eloquentem audiunt qui poſſit *tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quò velit, vnde autem velit deducere*, & ſi quæ ijs majora ſunt, quę Balzacius noſter libro de ſublimi eloquentia elegantiſſimè deſcripſit: qui hæc, inquam, audiunt, rem magnā eſſe quam Eccleſiaſtes petat, & magnum id eſſe per quod paratur, illico iudicant: neque ſanè hactenus falluntur, nam & maximum eſt quod quęritur, & maximum hoc per quod paratur. At hic eorum eſt error ſanè grauiſſimus, quod illud maximum, ex ſono vocum & ſtrepitu, non ex affectûs quem ciere decreuerunt natura metiantur, & eum aptiſſimè dixiſſe putent qui apoſtrophen magna vi contorſit, vel qui dithyrambico tumore inflatus clamoribus clamoſiſſimis

omnia repleuit, planè quasi quis cothurnum, quia magnificum est calceamenti genus, indifferenter omnibus, nanis & gigantibus, viris infantibúsque aptaret.

Nam affectus commouendi ij fermè sunt, ira, spes, odium, contemptus, fauor, admiratio, beneuolentia, timor, pudor, &c. qui vt *nerui in fidibus ita sonant vt ab oratione pulsantur*: jam verò quid est tam dissimile quàm pudor & admiratio, quid tam contrarium quàm amor atque odium? atqui non minorem in sermone diuersitatem repræsentare necesse est, quandoquidem vt manus fidibus, ita sermo affectibus adhibetur: atq; ea est admirabilis varietas quam qui nec voce & gestu, nec tropis & figuris exhibere poterit, frustra est si se inter eloquentes viros censitum iri vnquam sperat: præsertim cùm multò plures Ecclesiastæ in suggestu quàm actoribus causarum in foro affectus eodem tempore concitandi proponantur: nam in oratione Aduocati vnus vt plurimùm affectus est, ira putà, vel misericordia, qui toto sermone dominatur: Ecclesiastæ innumerabiles propè

Digitized by Google

eodem tempore proponuntur, cùm sæpe paulo momento iratscatur, exultet, laudet, objurget, gratuletur, exprobret, excandescat, blandiatur &c. quæ omnia vt suum quęque gestum & vultum habent, ita etiam suas figuras, & proprium orationis characterem.

Attamen tamen illud in quo tota artis nostræ perfectio posita est, quod homines admirantur & tanquam supra se positum stupent, non tam est suâ sponte difficile, quàm quòd vulgò à natura receditur; cùm totum istud in vita priuata sine conatu, immò etiam sæpe inuiti exprimamus: eadem enim natura quæ homini os linguamque concessit, quibus & necessaria petere & noxia deprecari valeamus, eam vnicuique vim indidit, vt easdem quibus ipsi pertentamur, in aliorum animis motiones concitemus. Equidem memini & semper meminero Viri præstantissimi, qui *perpetua quadam felicitate vsus cessit è vita suo magis quàm nostro tempore, & tum occidit cùm lugere facilius Ecclesiam posset, si viueret, quàm iuuare*: memini, inquam, cùm diceret se sæpe nec sine in-

Digitized by Google

dignatione miratum esse viros doctos, qui cùm rerum agendarum prudentiâ & naturali quadam facundiâ eminerent, postquam in suggestum ascendissent, tantum à se diuersi apparerent, vt nisi eosdem esse ipsi oculi indicarent, nemo id quisquam posset vllâ conjecturâ diuinare: & tantæ quidem præposteritatis hanc causam vir ingeniosissimus afferebat, quòd se illi quando priuati dicerent, imaginationi permitterent, imaginatio res vt in se sunt fideliter repræsentaret; res porro, dolore, vel spe, vel metu, dicentem accenderent: at contrà fieri existimabat vt cùm in vmbra musæi stylum otiosè prehendissent, sese memoriæ quæ iners est facultas totos regendos darent, atque ita ille ardor animi imaginatione tanquam igne destituatus, paulatim consideret: hæc rectè vt omnia Vir Cl. at præter eam, aliam esse istius peruersitatis causam nos isto indicio deprehendimus, quòd cùm isti librum aliquem legunt, easdem propè miserè affectationis ineptias retineant: qui enim missas ad se amicorum epistolas solent vocis tono aptissimo lectitare, si librum aliquem, puta

Biblia, in manus sumant, statim buccas inflabunt, & nescio quid obscurum & triste modulabuntur: cur vero? Nisi quia à prima pueritia hoc præjudicium imprudentibus & nolentibus etiam sese affricuit, *nimis esse tenue & minutum quod natura in eo genere homines docet.*

Quamobrem in commouendis affectibus se tantum profecisse quisq; apud animum suum reputet, quantum se in hoc præiudicio expugnando profecisse sibi conscius erit: melius autem expugnari præconcepta illa opinio non potest, quàm si quibusnam machinis in vsu vitæ quotidiano animi hominum perpellantur, sedulò & diligenter attendatis. Nam nos ita existimamus, concionem à conuersatione Christiana non aliter differre, quàm quod in conuersatione sermones vltro citróque misceantur; in concione vnus tantùm apud cœtum numerosum loquatur: quò melius Græci quàm nos, quas nos conciones, illi homilias vocarunt. Atque id ego eò diligentius moneo, ne quis miretur si omnia ferè nostra præcepta, quæ ad τὸ πάθη attinent, ex familiaribus

hominum collocutionibus repetamus: nam vt facilè concesserim Ecclesiastam doctiùs docere è cathedra, quam in priuato otio extemporali operâ, quòd institutio accurata studium atque artem requirat: ita alterum, flectere animos & in eum quem volueris habitum perducere, totum est naturæ, in quod ars nihil aut paucissima sibi vindicat. Quod vt clariùs adhuc intelligatur, agè, omnia illa percurramus, quibus homines vrbani & naturæ ipsius habitu ficti ad eloquentiam, sese audientium animis insinuant, & videbitis planè ijs esse gemina quæ prudentes Ecclesiastas imitari oporteat.

Et primùm quidem in conuersatione hoc requirimus, vt colloquentes sermonem suum à confabulatoribus nimiùm ne abducant, quasi, quod dici solet, alterum verberarent, sed hîc adesse homines qui auscultent sedulò semperq; meminerint: nam si quis se ab ijs ita abstrahat vt quæ apud plures loquitur, non minùs commodè in *solitaquio* quàm in *colloquio* ponantur, parùm ciuilis habebitur, neque se auditorum animis approbabit; cùm

natura omnes homines doceat non modò oculorum adspectu, voce & gestu; sed & vsitatis apud omnes gentes formulis, sese cõfabulatoribus attemperare: at enimverò non aliam esse concionum rationem quotidie experimur: nam qui de pietate, de temperantia &c. verba glomerant, quasi si librum dictarent, non certos homines appellarent, parum gratiosi Auditoribus adueniunt, qui in eo homine non familiarem amicum, qui suæ vtilitati seruiat, sed cathedrarium oratorem qui pensum absoluat, intelligent.

Hic verò iterum in medium prodeat ille iam à nobis laudatus Pauli imitator Chrysostomus: quippe qui suas conciones ita Auditorum commodis implicuit, ità tacitis adstantium cogitationibus adstrinxit, vt nulla pagina sit quæ hominem ὁμιλητικὸν non referat: cuius generis illa sunt quæ hic illic sparsit: *Vbinam sunt qui hæc irrident: audiant hæc qui non credunt: vellem hîc adessent omnes qui hæc vituperant: libenter interrogarem eos qui hæc non credunt, num &c. nec te conturbent, ô dilecte, quæ audis: miraris, di-*

Digitized by Google

lecte, quod hæc dixerit? quod dicere semper soleo, id nunc quoque inculcare non desinam: cogita obsecro hæc verba: vide quòd non temerè hæc dicta sunt: Papæ! qualis est hæc doctrina & quàm est omnibus quos in hoc cœtu adesse video, necessaria! Papæ! quot bonorum plena hæc est sententia! & homilia 24. in Acta quis sequentia sine admiratione legerit? *Quot putatis in ciuitate nostra esse qui seruentur? molestum quidem est quod dicturus sum, dicam tamen: non est in tot millibus centensimum inuenire qui seruetur, sed etiam de illis dubito: dic enim, oro, quanta malitia in adolescentibus, quanta desidia in senioribus? nullus quam oportet diligentiam adhibet in educandis suis: nullus habet zelum vt seniorem quem videt imitetur: exempla disparuerunt, idcirco nulli adolescentes fiunt admirabiles: nec mihi dicas, in magno numero sumus &c.*

Præclara sanè illa sunt vt omnes vident, & ore illo aureo planè digna: at hoc vos velim mihi credere, Auditores, præter illa, innumera esse huius notæ quæ cogitatio-

Digitized by Google

ne faciliùs comprehendi quàm oratione explicari queant : natura enim quæ in rebus necessarijs ingeniosissima est, mille in populari sermone vrbanitatum lenocinia ad captandam audientiam inuenit, quarum elegantiam faciliùs sentiat animus, quàm indicet ; cùm interrogatio aptè posita, quam pausa sequitur & conspectus oculorum anxius, quasi quis responsionem expectaret, incredibilem habeat in afficiendis auditoribus ἐνέργειαν : neque aliam profectò causam esse crediderim cur cõcio quò magis est ad attentionem continendam comparata, eò & meliorem recitatorem, hoc est, actorem requirat, & typis euulgari minùs sustineat; quippe illi quasi sermonis aculei, si chartæ commendentur, oculis, gestu, voce, quasi neruis, destituti, irriti atque inanes cadunt, nec suam possunt tueri dignitatem : verùm nos ista omnia, vt iam dixi, quæ & genere diuersa sunt, & numero propè infinita tacitæ Studiosorum cogitationi relinquimus, quæ multò plura dabit quàm vlla oratio expediat.

Hoc tantùm in genere dicam, nullam

Digitized by Google

esse figuram concitandis affectibus idoneam, quæ è medio & quotidiana conuersatione non petatur : dico ampliùs figuram quæ ex vsu communi excluditur, excludi ex suggestu : quæ in vsu communi frequentatur, in suggestu frequentari : quæ in vsu communi aliquando, sed rarò toleratur, in publicis allocutionibus item aliquando, sed rarò tolerari : illud autem aliquot exemplis, quæ prima sese mihi dabunt, breuiter illustrare non inutile fuerit.

Esto primò nobis proposita apostrophe, *quâ sermonem aliò auertimus quàm instituta oratio postulet* : nam si quæ sit figura cuius vsus sit extra declamatorum vmbracula rarissimus, & cum suo loco adhibetur efficacissimus, apostrophen esse omnes norunt : nam si quis in grauissimo luctu, dolore impellente, patrem mortuum quasi præsentem inclamet : vel ira percitus in hostem, vt si coram adesset inuehatur, (quomodo Henricum III. eloquentissimum regem, Lutetiam vrbem, in quam è loco superiori despiciebat, appellasse accepimus) quis intimis sensibus

sensibus non cohorrescat & percellatur? Quum ab his vel similibus barbis discessisti, quid tam frigidum, imò quid tam furiosum quam apostrophe? porrò eandem esse huius figuræ rationem cùm ex vitæ priuatæ tenebris in lucem protrahitur quis non videt? Neque enim niues hiemales sunt tam frigidæ quàm sunt illæ apostrophæ, quæ Auditorem nihil tale expectantem opprimunt.

Apostrophæ succedat epiphonema; sanè epiphonematos ex naturæ quodam impetu satis frequentem esse vsum vtrò fatemur: at quandonam? Primò, in re magna: Secundò, cùm ea antecesserunt, quæ epiphonema vel ab imitio extorqueant: Tertiò, si is qui dicit, sit σεμνὸς & temperamenti vim habeat igneam; quæ vltima conditio hanc figuram in parisibus Galliæ meridionalibus vsitatissimam fecit: at pone esse aliquem indolis paulo frigidioris hominem, qui in re leuicula, cuius causâ vir grauis ne digitum quidem porrexerit in exclamationes erumpat; nonne risum potiùs quàm admirationem merebitur? Idem verò, vocde Ecclesiasta

dictum putate; nisi quòd in Ecclesiasta nescio quomodo & ipsas ineptias vsus & consuetudo consecrarunt.

Epiphonema sequatur προσωπόσια (nam nos quod primum memoriæ occurrit recensemus) cuius magna est δύναμις παθητικὴ & singularis venustas *si persuadendo, objurgando, quærendo, miserando personas idoneas damus, & quemque ea loquutum esse & cogitasse fingimus, quæ eum cogitasse & loquutum esse non sit absurdum*: in quo sanè, monstrante viam naturâ, parum omnino aberratur, cùm ipsos opifices & rusticanos videamus quorum sensa exprimere cupiunt, eorum vocem & stylum felicissimè imitari; qui sit itaque vt in cathedra huiùs figuræ infelicissima sit tractatio, apud studiosos quidem, qui sæpe Paulum ea loquentem inducunt, quæ palliati Græculi personæ quàm Pauli majestati multò meliùs conueniant? Nempe quòd illi res ad stylum instar normæ lesbiæ, non prout oportebat, stylum ad res accommodent; neque quid sit pura illa simplicitas, quæ naturali lepore viget satis capiant.

Sed ô me hominem infelicem, cui non licet ire per singulas figuras, ea enim parata nobis erat instituti nostri clara sanè, & expedita demonstratio: vnam tamen adhuc, quò res clariòr fiat, addam anaphoram, (siue quo alio nomine hoc schema lubet vocare; neque enim nominibus satis distincta hæc sunt, &, vt Fabius loquitur, *multiplicem habent valdeq; scrupulosam disputationem*) cùm sit eiusdem vocis repetitio in initijs sententiarum: sic, *Deus est qui nos creauit, Deus est qui nos suâ prouidentiâ tuetur, Deus est qui nos redemit &c.* Enimverò inter tropos τῆς λέξεως non alium temerè inueneris ex quo nostræ sententiæ veritas minori præjudicio æstimetur: est enim illius vsus in quotidianis colloquijs rarissimus, in concione frequentissimus, vt si concionatorum poriòr hîc sit ratio, nihil causæ dicere habeamus, quin nostra regula falsissima sit: hîc autem omnes iudices volo, qui non sunt fatui & ad rem animum attenderunt, an non in sedato sermone ea figura inertissima sit & vmbræ declamatoriæ: cujus rei causam si quis quærat, nullam profectò

Digitized by Google

aliam inueniat quàm quòd oratores ornatus & leporis gratiâ ea figura vtiamentur natura vt πάθος & vehementiorem animi concitationem testentur.

Quæ quanquam ea sunt, vt vel digito semel indicata facilè fidem inueniant, neque longiori probatione indigeant; possunt tamen illa Demosthenis auctoritate confirmari: nam si quis sit qui in eo genere excellat, Demosthenem esse literati omnes qui istos libros legunt facilè consentiunt: vt enim attica subtilitate Lysias, affectatis structuræ numeris Isocrates, suauitate Phalereus Demosthenem fortè superarint, at nullum esse tamen qui vim &, vt loquitur Longinus, δεινότητα καὶ δύναμιν habeat Demosthenis Critici docent, & Halicarnasseus, vir κριτικώτατος eleganter expressit: *vbi*, inquit, *vel vnam Demosthenis orationem legi, extemplo instinctu concitatus, huc illuc agor ferórque: metus, contemptus, odium, misericordia, fauor, ira &c. animum miscent turbant: idémque apud me fieri videtur, quod illis euenire solet qui Cybeles & Coribantum sacris initiantur.*

Quòd si id ita sit; hoc etiam nobis concedi postulamus, eum affectuum concitandorum artem nosse, qui Demosthenem imitetur & exprimat: ecce autem vobis non nostrum, quibus ista commentari non licet, sed totius Antiquitatis de Demosthene iudicium, Demosthenem cæteris eo nomine præferri, quòd in ea parte quæ est *de affectibus* à vulgari genere orationis & à communi consuetudine minùs abhorruerit: vt mirum non sit si tyronibus minimum probetur, doctissimum quemque rapiat percellatque.

Atque hæc de figuris orationis, quas affectuum calcaria non ineptè quis dixerit: vnum porrò afferam quod in fronte paruum, in recessu magnum est; scilicet dico conuersationem etiam dictionum singularum (quarum quanta sit vis inciendis affectibus nemo ignorat) tutissimam esse regulam; eum quippe Ecclesiasticum si non eleganter, at, quod proximum est, commodè semper dicturum, qui nullam vnquam vocem producat, qui extra suggestum nullus locus esse queat: quanquam enim non quæque voces quæ in

conuersatione feruntur, lucem suggestûs sustineant, quòd in conuersatione multa familiaritati concedantur quæ suggestûs sanctitas majestásque respuunt; hoc tamen verum manet, nullâ debere Ecclesiastam vti voce, cuius eum cùm priuatus loquitur suppudeat: sunt ista, dixerit *huc* aliquis, neque quisquam vnquam ita stolidus fuit, qui jerit inficias: audio, ap tu vicissim audito, quid ex tua illa tam facili concessione conficiam.

Primò, omnia illa epitheta excludi quæ ad orationem ornandam, non ad intendendam significationem pertinent, cuius generis illa sunt, *senectus cana, mors pallida*, quæ si quis ad conuersationem traducat, vel ipsis infantibus debeat ludibrium.

Secundò, descriptiones ampullatas quas Poëtæ inuexerunt primi; Italorum & *Romanensium* librorum licentia denuò reuocauit, vt si quis pro eo quod in communi sermone dicimus, aliquid orto sole gestum esse, vulgaria illa despicatus, facem diei radijs suis hunc horizontem illustrasse, magno hiatu declamitet: & audiui quidem ego Studiosos, qui Paulum nun-

quam aliter quàm Apostolum gentium; Alexandrum Magnum nunquam aliter quàm invictum Persarum domitorem appellarent, qui si quem ita colloquentem audirent, eum stolidissimæ cacozelias damnarent.

Tertiò, earum rerum quæ quia nostro sæculo propiores sunt, vel penitæ nimis è medio atque obuiæ, loci amplitudini parùm conuenire putantur, ductas per circuitum periphrases: quomodo si quis Constantinopolim nominare verecundaretur, imperij Orientalis metropolim: Henricum quartũ, Stirpis Borbonicæ regem primum Francorum; Synodum, sanctissimum eorum hominum cœtum qui res Ecclesiasticas procurant, verborum ambitu circumscribat: quanquam enim Viri Magni sunt qui ita loqui amant, & ita loquendum esse libris editis defendant, quòd id esse ex decoro opinentur: id verò tamen tũtum esse ex præjudicio (quod cum eorum bona pace dixerim) nos hâc vnicâ ratione demonstramus, quòd si quid sit in eo quod loci amplitudini parùm respondeat, id in his nominibus situm non sit,

Constantinopolis, Henricus quartus, Synodus: Sed in ijs quæ de Constantinopoli, Henrico quarto & Synodo dicuntur, quæ si rectè dicantur, non video quid in illis nominibus tantum sit, quod debeat vir cordatus tanto studio refugere.

Postremò, adnominationes; item similiter cadentia & similiter desinentia (Galli in genere *puncta*, hoc est, aculeos vocant, quòd qui ista sectantur, subtilitatis & acuminis famam ambiant) quæ B. Augustinus Vir Maximus suæ gentis ingenio gratificatus est, sapientissimi quique Veteres oratores adeò contempserunt, vt non nisi rarò, & quidem quando sese vltro obijciunt, vnquam adhibeant, vt mirer si quibus Veteres placent, ijs possint argutuli isti declamatores placere: nam nos quidem hunc locum apud Marcum Tullium notare meminimus oratione de Prouinc. Consul. *bellum affectum videmus, & verè vt dicam, penè confectum, sed ita, vt si idem extrema exequitur qui inchoauit, iam omnia perfecta videamus:* & paulò post. *nam ipse Cæsar, quid est cur in Prouincia commorari velit, nisi vt ea*

quæ per eum affecta sunt, perfecta Reip. tradantur. At quod hæc tam parcè vir ingeniosissimus scriptis suis adsperserit, quis à iudicio & rationis instituto profectum non intelligit?

Enimverò nos & hæc & quæ sunt proximè à nobis recensita, hanc vnam ferè ob causam rejicimus, quòd qui in veritate dicunt, ea soleant aspernari, vtpote non tam ad fidem faciendam quàm ad delectationem accommodata: quoniam enim res, non picturatæ rerum figuræ animos mouent, voces autem *supponuntur pro rebus*; quò minùs illæ naturales erunt, eò minùs erunt in dicendo efficaces: haud aliter ac si quis terrorem alicui incutere decreuerit, pictum leonem non inducet; vel si amorem infundere instituerit, Cleopatræ imaginem non proponet, cùm objecta non objectorum imagines apta nata sint voluntatem permouere.

Ista autem omnia vitia & quæ cum his cognationem aliquam habent facilè vitabit: primo, qui deuotus erit, deuotio enim majoribus intenta, has minutias non moratur.

Digitized by Google

Secundò, qui longâ assuetudine cogitandi ad id subiget animum suum, vt inter tractatorem publicum è cathedra perorantem & inter virum grauem qui cum authoritate & pondere domi suos ad virtutem erudiat, non aliud esse discrimen existimet quàm quòd hic in humili loco consistat; ille quò à pluribus audiatur auditores ex ambone compellet: nam ita præiudicia quæ praua consuetudo attulit, prudentiâ multò facilius corrigentur.

Tertiò, qui res non priùs oratione consuestiet quàm eas vi imaginationis arctissimè apprehenderit; adeò vt oratio non tam memoriæ facultatem, quàm imaginationis ὁρμὴν & impetum sequatur: sic si quis vitam hominis Christiani cum Paulo Græcorum cursui comparare susceperit, assumptis quasi Imaginationis alis, quam nulla locorum intercapedo, nulla distantia remoratur, Olympiam rectà contendat; atque ibi ineffabilem pugnantium ardorem, tacita amicorum vota, arrectam Spectatorum in euentum expectationem, scandala currentibus objecta, victoris ex-

fultantem lætitiam, victi abjectam tristitiam, Agonothetarum coronam quasi præsentem contempletur: nec secus si quis Christi passiones (qui ineptiarum latissimus campus est, nî prudentia ingenio dominetur) aggreditur describere; Pharisæorum impotentem inuidiam, turbarum effusum primò amorem erga Christum, deinde insanum furorem: militum immanem petulantiam; discipulorum spem inter & metum anxietatem dubiam siue Christum excitatum iri crederent, siue perpetuò mansurum in sepulchro: Pilati judicium, qui cùm esset asperitate dura & inflexibili præditus; & vt de eo scribit Philo, τὴν φύσιν ἀκαμπὴς καὶ μετὰ τοῦ αὐθάδους ἀμείλικτος, innocentem contra diuina & humana iura, vt auram popularem captaret, morte damnauit: hæc inquam primùm animo præcipiat vniuersa: postmodum ijs orationem tanquam vestem induat.

Nam ita fiet vt sine vllo conatu ex plenitudine pectoris verba fundat, quæ quia ipsa rerum natura, non dicentis industria suppeditat, amoto omni verborũ tumore,

sine vlla hyperbole, rebus non secus ac vestis corpori aptissimè adhærebunt: deinde, erit in illius stylo virile quoddam robur ac plenę sententiarum voces, quæ rerum non tam signa erunt, quàm viuidæ quædam atque expressæ picturæ, quas Grammaticæ ope & Memoriæ subsidio nihilo magis quis exprimat; quam Apellis *ingenium* & *gratiam* (quæ sibi ipse tribuebat) affusâ temerè colorum multitudine repræsentet: denique, quod est maximè præsentis instituti, figuras *verisimiles* habebit & in *concipiendis visionibus* felix erit, absque quibus sit, frustra se quisquam vehementes affectus concitaturum vnquam speret: Quæ concipiandarum visionum facultas quia in commum sermone se maximè prodit, nihil mirari quisquam debet si conuersatio sit à nobis posita orationis eloquentis norma.

Quæ ex conuersatione documenta hucusque deduximus, in stylo ferè omnia versantur, sed vis nostrę ratiocinationis longiùs tendit: etenim ampliùs dico, conuersationem etiam rerum ipsarum quę ad affectus spectant optimam esse mensuram;

Digitized by Google

quòd vt à vobis distinctiùs intelligatur, huic nostræ positioni fundum facimus quod ait Epicurus, *nihil ab homine fieri, dict aut instituiniſi διὰ τὰς χρείας*, propter *vſus*, non quæstuosos quidem illos semper, sed vſus tamen, qui qualescunque sint, si nos destituant, anima instar nauis, cui nec adsunt venti nec remi, manet in vtramque partem immobilis: nam cùm seipsum quisque amet maximè & sibi bene esse quàm alteri malit, eò fit vt bona atque mala, non ex ipsa rerum natura, sed ex ea quam ad nos habent habitudine metiatur: quod facilè quisque potest suâ & alienâ experientiâ explorare: fingite enim alicui nunciari hominem ne nomine quidem notum, gratiâ pollere apud Regem; frigidus audiet: affinem; gaudebit: cognatum; vehementiùs lætabitur: fratrem; exultabit: seipsum; tum immortaliter præ gaudio triumphabit. Sic pariter in malo. Audimus pestem apud Indos grassari; nihil aut parùm afficimur, quòd periculum non sit ne ea lues ab Indis ad nos transuolet: penetrat in Europam; ibi grauiùs commouemur, quòd in Eu-

copa habiemus : Galliam vastat ; hinc dolor atque tristitia, quòd me longiùs serpat animos incessat metus : hanc depopulatur Prouinciam ; exinde non dolor tantùm & tristitia ; sed anxietas & sollicitudo grauissima : hanc ciuitatem corripit ; tùm intercludibilis consternatio & cæcus animos occupabit : quòd si spondeat Deus nobis fore vt in tanta calamitate nos & nostri omnes salui & incolumes supersint, dicite bonâ fide, an non magna animo serenitas illicò illucescat.

Et expectatis vos opinor quò istæ Philosophiæ euasuræ sint : non longum faciam : dico Naturam hoc docere omnes homines, vt si cuius animum velint vehementius inflammare, eius vtilitatem suæ orationi obtendant : putà, ni faciat, quod faciendum suadent, eius capiti malum grauissimum imminere : si faciat, paratum esse faciendi præmium : atque illud etiam est quod omnes homines videmus naturaliter vsurpare : duo enim illa cùm student aliquem inflammare, diligentissimè obseruant, primò, vt nihil vnquam dicant quod audire illius quem alloquun-

tur non intersit: secundò, vt quæ generaliora sunt, leuissimè prætermittant; ea maximè vrgeant quæ sunt illius attemperata indoli, quam vtique si semel perspectam habeant, dimidium facti se habere arbitrantur.

Atenimverò hisce duobus quæ natura nobis præmonstrat, duo sunt in Ecclesiastæ sermone quæ ex aduerso respondeant; nam primò Ecclesiastes debet ab ijs religiosissimè abstinere, quæ scire Auditores non laborant: cuiusmodi ferè sunt omnes illæ quæ ex exoticis disciplinis Astronomia, Medicina &c. obseruationes petuntur; sunt enim imbelles machinæ, quæ ne harum quidem artium professores satis perpellunt; quoniam hæcce, ab eo homine, hoc loco audituri non aduenerunt.

Sola itaque superest Scriptura, quæ est verè *turris Dauid* & armamentarium, ex quo Vir Dei arma promat, quibus animum expugnet & captiuum abducat intellectum: non modò quia verbum Dei, docente authore Epist. ad Ebr. capite 4. *pertingit vsque ad diuisionem animæ simul ac spiritûs compagumque & medullarum*

sed verò inprimis (quæ cõsideratio est maximè huius loci) quòd singula suis quęque sint loci & temporis ac personarum finibus definita; quos vltra citráq; nequeunt rectè consistere: Nam in scena scenica; in foro forensia expectantur: in locum autem sacrum nihil nisi sacra audituri conuenimus: quare si præter expectationem & votum merces exotica expromantur, ne quidem apud prophanos satis erunt vendibiles: non quòd illi sacra ament, aut exotica aspernentur, quæ alioqui apud exoticos authores impensè miramur: sed quòd huic loco, huic homini parùm conuenire existiment: quomodo si homini sitienti cibi lautissimi apponantur, cibos non aspernabitur ille quidem; attamen quia eorum nullus sitienti vsus est, non assumet tamen, nec sibi ingeri patietur.

Quod si ijs Rhetorum pigmentis ne ij quidem satis faciunt, quibus præ quisquilijs illis sordet Scriptura: quodnam tandem de ijs futurum putatis plebis Christianæ iudicium, quæ quia præter Scripturam nihil legit, audit, capit; sibi facitè gratulatur, si quod memoriter didicit,

tit, videat à concionatore adhiberi : contrà dolet, si sibi ignota & inaudita tanquam vtilia proponantur ? attamen illa misella plebecula ab Ecclesiasta non impunè contemnitur ; tum quòd viros doctos numero illa superet ; pluribus autem seruire iubent nos conscientia & exemplum Christi, qui missus est ad Euangelisandum pauperibus. Luc 4. tum quia, vt in dissimili genere Tullius obseruat, necesse est qui ita dicat vt à multitudine probetur, eundem doctis probari : at qui doctis probatur, eum nihil necesse est multitudini statim probari.

Alterum quod vulgari sermonis consuetudini in Ecclesiastę oratione respondet, hoc est, vt cùm ad virtutem hortatur, vel à vitio deterret in generalioribus ne hæreat : ijs enim apud Auditores parum proficitur, qui se tangi vel ex superbia non putant ; vel ex imprudentia non aduertunt : quin contrà virtutes & vitia suis quæque descripta coloribus proponat, vt se peti, ne si quidem maximè velint, Auditores possint ignorare : sic si quis studiosus calumniatores exagiter, ne id

Digitized by Google

tantùm in genere conſtituat (quanquam hoc quoque) calumniam tetram eſſe & Diabolo patre dignam prolem ; ad ea enim diu eſt cùm homines occalluerunt : ſed eorum hominum omnes nocendi artes, crudeles blanditias & pernicioſas laudes ſedulò contemplatus, eas ſuis characteribus graphicè delineet : nam qui hæc audient, rem ſuam agi & de ſe narrari fabulam intimo pectore perſentiſcent, cùm clamet interiùs conſcientia ſe Satanicam fraudem his delinimentis ſæpiſſimè illeuiſſe, eorum enim hominum hęc ſunt : *ita planè, vir eſt eximius : ego ſanè, ſi quis alius, eius virtutem libenter prædicò : ſed videte quæſo quàm impudens res ſit calumnia, ne ipſi quidem parcitur ; ita planè eſt vt dico, ne ipſi quidem parcitur : nuper de eo homine mihi hiſtoria narrabatur, & fide digni erant qui narrabant, & ea circunſtantiæ addebantur, quæ rem probabiliſſimam fecerent : nec tamen adduci potui vt crederem : dicam in aurem, eâ lege ne quis reſciſcat.* Vel quæ altera iſtorum eſt methodus, amicitiæ fuco obtecta crudelitas : *quæ igitur, quæ de illo homine*

rumoris ſiniſterior aura ad aures noſtras pervenit : ego profectò hanc famam vel meo ſanguine redemptam velim, ita virum amo : eumne verò eſſe inemendabilem ? dolendum : nam alioqui virtutes habet egregias : ſed apud homines ſic viuitur : homo eſt, ſuos nævos habet & nos habemus noſtros nihilo tolerabiliores.

Nec ſanè aliter de cęteris vitijs inuidia, adulterio, auaritia &c. philoſophandum videtur; cùm nullum ſit vitium, nulla virtus : quid vitium dico & virtus ? Nulla hominum ætas, nullus ordo, nulla conditio quæ proprium χαρακτηισμὸν non habeat, quem nec Theophraſtus in Ethicis characteribus, nec Theophraſti Magiſter Ariſtoteles in Rhetoricis ſatis graphicè delineatum vobis dabunt; ſed ſola vitæ quotidianæ ſedula & accurata contemplatio, quæ (vitæ dico humanæ contemplatio) tanti eſt & tam latè patentis vſûs, vt eum plus profecturum putem qui vitam humanam, non in tranſcurſu, vt vulgus ſolet; ſed Philoſophicè contempletur, quàm qui omnes quotquot centum adhinc annis de ratione concionandi in lucem

Digitized by Google

prodierunt, libros diligentissimè versauerit: est enim concio pharetræ similis ex qua promuntur spicula quę milites, mercatores, viros, fœminas, senes, iuuenes, auaros, prodigos &c. salutariter faucient: quare qui eorum hominum mores, indolem, ingenium & instituta ignorabit, ἠθοποιίας ἤθεσι (vt Libanij verbo vtar) simul nescíet; porrò qui ethesεos imperitus ad concionandum accedet, vnumquemque effingere & per suos εἰκονισμοὺς describere non poterit, qui tamen summus est, non modò magni Poëtæ (quod Vir Illustris existimat) sed & magni Ecclesiastę conatus est, nam Horatianum illud,

Tu quid ego, & populus mecum desideret, audi:
Si plausoris eges aulaea manentis, & vsque
Sessuri, donec cantor, vos plaudite, dicat:
Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibúsque decor naturis dandus, & annis.

non minùs in suggestu valet quàm in scena,

Quò minùs autem morata fit adoleſcentum oratio, multa impediunt: nam primò, morata oratio excellenti ὑποκρίσει, hoc eſt, pronunciatione & geſtu ſuffulcienda eſt, quibus Studioſos deſtitui vt plurimùm videmus, quòd oculos, linguam & manus memóriæ addixerint; deinde vitæ humanæ vſum non habent, quę etiam eſt cauſa, cur Monachorum, qui verè id ſunt quod dicuntur Monachi, ſæpe otioſæ ſint & fungoſæ conciones: contrà virorum politicorum, qui nec Græcè nec Latinè norunt, plena ſit & virilis oratio: poſtremò, non ſunt illi ſatis in Ethicis exercitati.

Et de prioribus quidem illis duobus vos facilè habebo aſſentientes, in poſtremo ſi quis ſibi & ſuo ordini injuriam fieri quiritetur, agè, in rem præſentem veniat, & nobis ſuæ artis in re facili ſpecimen exhibeat: me enim iudice cauſam obtinebit, ſi modò ſe eius partis, quam πραγματικὴν Philoſophi vocãt (ſuam enim habet ars noſtra non minùs quàm Medicorum πραγματικὴν) peritum oſtenderit. Nam multos quidem audias, qui preces ad Deum (idem autem de cęteris debet

Digitized by Google

fieri iudicium) miris extollant laudibus? quippe esse miserorum asylum: scalam Iacobi, per quam quis scandat in Sanctuarium Dei: sacrum inter cœlos terrámque vinculum: verè copiæ cornu, ex quo, quidquid legitimè optes, largiter suppullulet: at quâ potissimùm ratione Deum orare oporteat, quibus horis, quâ cautione, quot precum sint genera, id verò est quod tu premis silentio, nos scire præcipuè auemus. Quis enim Medicum ferat qui Physiologiæ gnarus sit quidem, & de natura causísque morborum multa egregiè commentetur; cæterum de remedijs quibus curantur, de conuenienti diæta quâ sanitas semel parta seruetur, nihil vnquam audiuerit. Sed de his aliàs dicendi erit locus, malum enim est cui deplorando horula non sufficiat.

Hîc itaque, Auditores, locum de affectibus concludamus. Superest jam ex tribus quę Ecclesiasticæ vniuersim proposita esse diximus, tertium, voluptas scilicet & delectatio Auditorum: sed benè est quòd ei parti immorari opus non est: neque enim delectatio Auditorum tam propter se ex-

Digitized by Google

petitur, quàm quia priora illa duo, quæ à nobis examinata sunt, necessariò consequitur: sicut nemo qui quidem vir sit, sanitati operam dabit vt sit pulcher; aut virtuti, vt lætetur: cùm tamen ex sanitate pulchritudo, ex virtute lætitia efflorescat: *Nam vt in plerisque rebus* (quæ est Ciceronis verissima sanè obseruatio) *incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata, sic in oratione, vt ea quæ maximam vtilitatem haberent, eadem haberent plurimum vel dignitatis, vel etiam venustatis.* Ergo id primum Concionator studeat vt fidem faciat & se Auditorum animis insinuet; quod si obtineat, tertium etiam non expectatum, sponte accedet.

His ita declaratis, quæ sunt orationi Ecclesiastę insita, ad ea quæ orationi forinsecus adueniunt, nostra nunc sese conuertat oratio: illa autem duabus omnino partibus constat, pronunciatione & gestu: quæ si quantum vtilitatis habent, tantum præceptis regerentur, nullibi nostra meliùs opera poneretur; nam celebratum illud ea de re Demosthenis effatum non ignoramus: verùm enim hoc nobis hîc

Digitized by Google

accidit moleſtiſſimum, quod concionatoris actio quò magis neceſſaria eſt, eò artis regulis minus obſequatur.

Nam vt de geſtu primùm dicam, qui eam manuum & oculorum incertam & propè infinitam flexionem, certam & definitam facere ratione ſatagat; nihilo plus agat quàm ſi ipſis affectibus, quorum incredibilis eſt diuerſitas, modum ponere moliatur: alij enim geſtus alijs cõueniunt, neque exiſtimandum eſt eoſdem Petri θερμότητα & Iohannis ſempet-lenitatem admiſiſſe; in eodem porrò homine quàm varia hæc ſunt, & pro natura argumenti ſæpe oppoſita! cùm & hoc ipſum à geſtu ceſſare, vt in commotione grauiſſima, cui nullus geſtus par eſſe queat, aliquantum orationi ponderis afferat.

Equidem ſi quæ inſignis ſit in ore affectata deformitas, vel manuum & totius corporis agitatio inordinata, de ijs Studioſos admoneri conſultum arbitramur; eos duntaxat non probamus, qui quouſq; brachia protendi debeant, vel ipſi manuum digiti dilatari præfinito edicunt, quaſi *neruis alienis duceretur mobile li-*

Digitized by Google

genum : istos enim gesticulatores mihi videte, quorum concinnitas laudatur, quòd manus appositè, vt artis est, circunducant, & corpus paribus periodorum interuallis modò huc modò illuc inclinent, ceu aues recens captæ ad eam partem caueæ quæ luci obuersa est, & facilè sentietis ea vniformi motione adstantium oculos, quorum acrius est quàm aurium iudicium, non tam delectari quam delassari.

Tota igitur ista περιγματία non est tanti, & duobus hisce præceptis facilè continetur : primò, vt naturæ Ecclesiastes obsecundet, & si natura nullum ipsa gestum exerat, nullum ipse naturæ commodet ; putidum enim erit quidquid præter naturam fiet : si quem contrà natura tacito sensu promat, eum, qualiscunque futurus est, sedulò retineat, erit enim, vt in illo homine, propter colorē naturæ tolerabilis.

Secundò, dignitatem in statu corporis & toto habitu præ se ferat, nam est sæpe vel in silentio hominis diserti aliquid, vnde Auditores facundiam augurentur.

Dumque silens astat, status est vultúsque diserti

Spemque decens doctæ vocis amictus habet.

Eum enim locum felicissimè, vt omnia, sic nobis restituit Tanaquillus Faber literarum Græcarum in hac Academia Professor : immo & ipsius Iesu Christi, sub cujus labijs gratia effusa est, aliquam præterea fuisse in vestis & corporis habitu εὐχαριτίνλω, ex eo conijcimus quòd Lucas narrat cap. 4. Dominum nostrum Iesum cùm locum Esaïæ prælegisset & sedisset, etiam antequam os aperuisset, omnium in se ora atque oculos conuertisse. Neque aliò pertinet quòd manu porrectâ, quod authoritatis est, olim solebant audientiam indicere, quod *iubere silentium dextrâ* Lucanus dixit, & Persius, *facere silentia majestate manûs*, pro quo ἐκτείνειν τὴν χεῖρα, & κατασείειν τῇ χειρὶ, habet scriptura. Nam illę digitorum concrepationes, qui alter erat silentium indicendi modus, ipsis Ecclesiastis vsitatus, Viro graui, nedum Ecclesiasta parum dignæ nobis videntur.

Sequitur pronunciatio quæ hoc cum gestu commune habet, quòd exercitationem requirat ; de cętero omne artificium

Digitized by Google

excludat: illud enim est quod me memini cuidam è vestro grege Socratice per interrogationes sic probare: nonne, inquam, omnes homines vocem ad ea quæ dicuntur naturaliter accommodant, vt nihil habeat, hac quidem in parte vir literatus, quo se supra illiteratum ostentet? Fatebatur. Ergo, inquam, si qui sint qui μονοτονίᾳ, aut aliqua alia, quam sibi ipsi conscíuerint, prauitate laborent, id ex eo est quod naturam non audiant? Annuebat. Quare qui in cathedra eundem vocis accentum seruabit, quo in quotidianis congressibus vtitur, in illius pronunciatione nihil erit quod Auditores magnopere desiderent? Concedebat & id quoque. Tum ego, atqui, inquam, ex his sequitur vocis regendę non alias prescribi posse regulas, quàm si diligenter attendamus, quid illud sit quo fit vt in priuatis colloquijs sine conatu vox affectum sequatur. Non negabat. Quæro igitur à te quid illud tantum esse putes quod omnes homines sine labore obtinent, Concionatores magnis sudoribus non assequuntur? Memoriam afferebat, cui Ecclesiastes ser-

Digitized by Google

uiret: in quo vt hominis iudicium probabam, ita non penitus assentiebar: eam enim non esse *totalem* mali istius causam ex eo arguebam, quod alij sint (quos intelligam non difficile est ad conjectandū) non minùs quàm nos memoriæ addicti, qui vt plurima alia vitia habeant, hoc certè μονοτονίας, quod omnium grauissimum est, non habent; erit itaque seruitus illa (est enim ita vt dico seruitus) ad summum *causa sine qua non*, cui alia propior accedat necesse est.

Non aliam autem probabiliorem afferri posse putem quàm pranam imitationem; nam qui ante centum annos Theologiam docebant, Viri cætera incomparabiles, cùm grauioribus districti, ista, vt reuera erant, parum se digna existimarent, & alioqui à rabularum illius ætatis furoribus quàm longissimè recedere decreuissent, discipulos habuerunt, qui illorum omnia, etiam non optima imitarentur, hi dein suos etiam admiratores inuenerunt, vsque dum re disseminatâ per plures, tandem in legem abijt.

Hæ duæ sunt, quantum quidem con-

Digitized by Google

jectando assequimur, causæ mali, quibus sese facilè expediet, qui in contraria iuerit. Sic, memoria parùm firma gestum & pronunciationem præpedit? ipse se potestati memoriæ subducat, & rem totam imaginationi permittat: hâc autem maximè viâ concio à memoria ad imaginationem transferetur, si postquam eam memoriæ impressit tenacissimè, exinde scripto in arca sepositò, singula per totum biduum, quasi in re præsenti esset, mente reuoluat; & Aduersarium, si disputatio incidat; Iesum Nazarenum in cruce, si crucifixum describat, & sic deinceps, vt illa sunt quæ narrantur, animo contempletur, quò memoriam in rebus ipsis fundet, & à scripto sensim abducat: neque enim aliam esse causam putandum est, cur actoribus causarum, multò quàm nostris hominibus recitatio feliciùs succedat, quàm quòd eorum oculis cliens, judices, reus, Aduersarius præsentes obuersentur.

Praua imitatio vocem deprauat? Ipse supra imitationem assurgat, séque liberum esse meminerit: & si quoquo modo habere velit quos imitetur, sibi veteres po-

Digitized by Google

tiùs imitandos proponat : diuersam enim ab ea quam nos hodie sequimur viam Veteres sequutos fuisse ex eo probabilis est conjectura, quòd quas hodie conciones, illi *tractatus*, *allocutiones*, *sermones*, *homilias* ; concionatores ipsos *tractatores*, *doctores*, *disputatores* vocarent : quibus & illud accedit quod de se narrat Gregorius M. homilia 21. ex libro quadraginta homiliarum, se qui ex scripto loqui consueuisset, cùm lacessente stomacho, legere ampliùs non posset, lectionem S. Euangelij non legendo, sed colloquendo edisserere suscepisse. Cùm nullus tamen hodie viuat concionator, qui laborem stomachi leuaturus, si optio potestásque ei fiat vt eligat vtrum velit, non satius ducat de scripto quàm de memoria recitare.

Quanquam (vt nihil dissimulem) istud quidquid est consilij, non nisi inuitus soleo Studiosis impertiri ; quòd à multis sequiùs accipi quotidiana clamet experientia : nam quia, dùm monotoniam frangant, quâ ratione id assequantur, nihil pensi habent, è suggestu non aliter loquuntur, quàm si in circulis, de nugis in-

Digitized by Google

tercalaribus, cum amicis familiariter garrirent: quod quando contingit, contingit autem sæpe, nos hoc solatio vtimur, quòd eorum hominum errorem præstare minimè teneamur; neque si illi stulti sunt, ideò nostræ nobis sententiæ ratio minùs constet: præsertim cùm obuia sit causa cur illi ab Auditoribus minùs libenter audiatur: nempe cùm huic accentui nec memoria, nec gestus, nec vultus, nec intuitus oculorum & totiùs habitûs ardens nescio quę alacritas, immò neque res ipsæ satis respondeant; *linguâ, non corde* loqui Auditoribus videntur, instar psittaci qui quas ipse non intelligit, arte voces humanas imitatur.

Qui plura volet, adeat elegantissimum libellum *de actione oratoris* Micaëlis Falcarij Nostri opus posthumum, cuius editionem nobis curauit Vir Illustris, omnium elegantiarum penu locupletissimum, qui si pro eo quòd hactenus satis habuit scribentibus obstetricari, ipse de ratione concionandi scribere non grauaretur, frustra is nobis susceptus esset labor, quando omnes artis nostræ numeros absolutissimè vnus impleret.

Digitized by Google

APPENDIX AD SVPERIORA de singulis concionis partibus.

QVÆCVNQVE à nobis hactenus prolata sunt, eò si rem quis propiùs inspexerit, allegata sunt omnia vt nobis positam initio thesim demonstratam daremus; *Deuotionem & Naturam ad optimum concionandi genus optimas esse duces.* Superest vt coronidis vice nostrum de singulis concionis partibus iudicium attexamus. Solent autem quatuor vulgò poni Exordium, Partitio, Tractatio, & Conclusio.

Primo loco numeratur Exordium, de quo quid sentiam nemo potest, qui superiora audiuerit ignorare: Exordium enim planè artem fatetur, nos autem omnia reuocamus ad naturæ puros & limpidissimos fontes: & sanè qui consuetudinem inter & naturam æquus arbiter sedebit, Proœmiorum originem Sophistis statim adjudicabit: ecce enim Ecclesiastes prodit;

quem

quem locum ex Verbo Dei explanandum elegerit prœmonet; se in eum finem in suggestum ascendisse non dissimulat: versum mox enarrandum prælegit; audiunt qui adsunt, expectant dum fidem concionator liberet: & sibi postilla nefas esse ille putat in causam inuadere, nî prius per flexuosas ambages rem circunducat.

Rei autem vanitatem nihil est quod magis arguat quàm regularum importunitas, quibus Magistri exordium circunscribunt; omne enim exordium promi ex visceribus causæ, neque tamen ad causæ intima pertinere; quæ cùm inuicem conciliari vix queant, hinc est quod omne exordium in alterutrum scopulum impingit, vt vel extra causam extet, vel intra causam includatur: risi quidem ego sanè satis cum in censendis propositionibus vestris viderem nullam tantam esse proœmij diligentiam, quæ in notam censoriam non incurreret.

Obijciunt, parum verecundè nos facere, qui contra totius Antiquitatis iudicium, Exordium ab eo quem hucusque honoratissimum occupauit, loco submoueamus.

Respondeo me consequentiam concedere, rem negare vnde illa deducitur: nihil enim ferè habebant Veterum Exordia nostris simile præter nomen: interrogemus enim Fabium quorsum exordia orationi præponenda esse putet: *vt Auditorem*, inquit, *quò sit illi in cæteris partibus accommodatior præparet: id autem fieri docet tribus maximè rebus, si beneuolum, attentum, docilem fecerit: beneuolentiam aut à personis, aut à causis duci, personarum autem quadruplicem esse rationem ex litigatore, aduersario, iudice & actore causæ &c.* benè, nam nos adeò à Fabio non dissentimus, vt nihil Studiosis tantopere commendemus quàm vt postquàm eos sacra ordinatio Ecclesiastas fecerit, Auditores, locum, tempus, se denique circunspiciant, num fortè aliquid sit quod iustam Exordij materiam suppeditet.

Ea tantùm Exordia hic expungimus, in quibus quis præfatur vt præfetur, ne non tam in tractationem ingredi, (hoc enim causantur) quàm irrumpere videantur. Quam præfandi rationem parum Chryso-

stomo placuisse, nos eo ipso loco ostendimus, in quo exordia destinatâ operâ commendauit: integrum describam, quod ad rem singulariter faciat. Homilia est de ferendis reprehensionibus & de conuersione Pauli. Reprehenderunt nos, inquit, amicorum quidam, quòd productiora Sermonum initia faciamus. Et paulò post: Seruiunt nobis in hoc proœmia, vt Auditores de dicendis per compendium instruantur, & manifestior tradatur doctrina: fateor enim, non opus Proœmijs, neq; instructionibus, his, qui semper Scripturis vacat, neque alijs occupationibus distrahuntur. (Notate bene hæc verba.) Pergit. Statim enim audito Lectore, dictorum mentem accipiunt: qui autem bonam temporis partem secularibus negotijs impendunt, & rariùs hîc comparent, nisi Proœmia audiant, & instructi intelligant, quæ sermonem illum præcedant, absque lucro hinc abeunt. Non est autem hæc sola nobis Proœmiorum causa, sed & alia non minor, quàm ista. In tanta multitudine sunt alij qui aduenium, alij qui non aduenium, & necesse est vt laudentur præsen-

Digitized by Google

tes, arguantur absentes, vt illi quidem laudibus studiosiores euadant, hi autem reprehensi ignauiam abijciant. Est & alius vsus Proœmiorum, incidimus enim sæpe in longiora argumenta, quæ vno die ad finem perduci nequeunt; & interdum duobus, vel tribus diebus, vt rectè explicentur opus habent; vnde tunc opus est die secundo finem doctrinæ prioris repetere, vt dum principio finis congruit, sermo cohæreat, Auditoribúsque minùs sit obscurus. Et vt discas, Sermonem absque Proœmijs valde obscurari, Ecce exempli gratiâ &c.

Intelligitis nunc opinor, Auditores, quàm Veterum exordia à Nostrorum consuetudine longè latéque discreparent, cùm nihil aliud ferè essent quàm prælectæ pericopæ cum antecedentibus connexiones.

Quod si quid insolitum accidisset, ingruens putà aut depulsa calamitas, ibi solebat Vir Pius ab his verbis Iobi, *benedictum sit nomen Domini*, exordiri: vnum aut alterum exhibebo, non tam quòd magnopere necessarium putem, quàm vt aures vestras suauissimæ vocis auditione re-

Digitized by Google

ficiam. Sic itaque Sanctus Pater homilia 20. ad populum Antiochenum. A verbo à quo semper in periculorum tempore apud charitatem vestram exordiri consueueram, ab eodem, inquam, & hodie apud vos sermonem incipiam, & dicam vobiscum, *benedictus Deus*, hanc nos vobiscum sacram solennitatem cum gaudio & lætitia multa celebrare faciens, & qui caput corpori dedit, & Pastorem ouibus, Præceptorem discipulis, militibus ducem, Sacerdotibus Pontificem: *benedictus Deus*, qui ex superabundanti fecit, quæ petimus aut cogitamus, & homilia post reditum prioris exilij. Quid dicam? quid loquar? *Benedictus Deus*, hunc egrediens dixi sermonem, hunc iteraui reuertens, & illic constitutus hunc in ore voluebam. Puto vos meminisse, cùm ante hoc Beatum Iob adduxissem in medio dicentem, *Sit nomen Domini benedictum*, hanc vobis historiam dereliqui, has gratiarum actiones iteraui reuersus, *Sit nomen Domini benedictum in sæcula: Benedictus Deus*, qui concessit exire: Benedictus Deus qui redire præcepit: Benedictus Deus, qui per-

misit hiemem: Benedictus Deus, qui dissoluit hiemem, & fecit tranquillitatem. Hæc dico admonens vos, vt semper benedicatis. Si euenerint mala, benedicite, & dissoluentur mala: si prospera euenerint, benedicite, & perseuerabunt prospera.

Hæc fuit de tota re Chrysostomi sententia, quam vos amplecti hâc lege iubeo, si interea tritâ maximè & calcatâ viâ incedatis: hoc enim in vita primum semper existimaui vt lingua cum pluribus, animus cum Sapientibus consentiat: hæc modò adhibenda erit cautio vt præfationes perspicuæ sint, nullis inustæ verborum calamistræ, aut nimis elaboratæ diligentiâ; sed breues, è re natæ, &, quod in primis obseruandum, ex vna eáque simplicissima sententia constitutæ, atque vt paucis omnia dicam, isagogæ potiùs in causam quàm anteloquia: vt ne quis putidulos illos declamatores imitetur, quos falsè Erasmus ridet encomio Moriæ, qui præambulum suum (sic enim vocant) ita demum eximiè Rhetoricum fore ducunt, si nusquam quicquam habeat cum reliquo argumento confine, vt auditor interim admirans,

Digitized by Google

illud secum murmuret, quò nunc se proripit ille?

Nunc de Partitione videamus, quæ vtrum cùm rectè constituitur vtilior, an cùm citra necessitatem adhibetur damnosior sit, nondum scio: nam quod sunt nauiganti stellæ polares, id ipsum concionanti præstat commoda & suis partibus aptè distincta partitio; qui itaq; diuisiones proponit, vbi ijs dicenti nihil opus est, idem facit ac si quis nouas stellas nauigationis duces & directrices sequatur, quæ nauigantem vel à portu penitus abducant, vel certè iter remorentur.

Nam nos ita semper statuimus, nihil aliud esse concionem, quàm paulò longiorem paraphrasin, in qua nihil dicatur, quod in authoris, cui lucem commodamus, animum non inciderit; aut saltem incidisse non sit verisimile: quare qui sibi partitiones præfinit, quas neque authoris institutum, nec argumenti natura magnopere exigit, ipse sibi errorem facit. Exemplum addo, exponit quis eum locum, *quicunque crediderit, vitam æternam habebit*: vulgata partitio est in tres partes vt

primò, quæratur quid sit fides? secundò, quid vita æterna? tertiò, quàm verùm illud sit, vitam æternam habiturum quicunque crediderit: optimè, si duo priora tanquam præuiæ obseruationes leuiter transcurrantur; pessimè, si ceu iustæ concionis partes tertio articulo adæquentur: neque enim hoc agit Christus, vt quid sit fides, quídue vita æterna Auditores suos doceat, sed vt maximo proposito præmio ad credendum permoueat: quamobrem in eo potissimùm versari debet interpretis oratio, vt eam nobis horum verborum complexionem simul & semel demonstret, *seruatum iri qui credit*, quod quia ordinatè non fiet nisi per partitiones idoneas, nos partitiones proponi nihil impedimus, si modò illæ toti sententiæ, non diuulsis sententiæ partibus accommodentur; putà, eam veritatem, *seruatum iri quicunque crediderit*; tria habere fundamenta. Primò, Iustitiam Dei. Secundò, Sapientiam: Tertiò, Bonitatem: Quæ si porrò ediffe-rantur singula, magna orationi lux accedet.

Scilicet hoc illud est quod ego Studiosis

Digitized by Google

inculcare non desino, alias esse diuisiones *rerum*, quę totius causæ viscera permeent: alias partitiones *verborum* quę complexam sententiam in plures minutas secent particulas: nam de prioribus ita sentimus, nullam esse concionem quę ijs non indigeat: posteriores tum demum necessarias arbitramur, cùm composita & ex pluribus diuersis concreta est sententia: vt autem contra ius fásque illæ rariùs vsurpentur, hæ crebriùs frequententur, sola facit, vt quidem ego existimo, segnities: nam qui verborum id-genus sectiones præstruit, ille segnissimæ etiam Imaginationi liberam aperit exspatiandi facultatem, & ad Magistrorum dictata sibi aditum parat; cùm qui id vnum, si quidem Apostoli institutum presse vrgeret, habebat ostendendum, *Christum à legis maledictione nos liberasse*: si quid sit Lex, quid Legis maledictio sibi declarandum sumat, conduplicet, immò verò triplicet differtandi materiam.

Sed generosi est animi non quod maximè facile & sibi commodum, sed quod maximè Auditoribus vtile & decorum esse

Digitized by Google

intellexerit, id sequi: præsertim cùm hoc ipsum accedente exercitatione facile fiat. Vt ne hic dicam quod Imaginationi deest, materiæ amplitudine posse abundè compensari; neque enim quidquam verat quo minùs pro vno aut altero sæpe breuissimo versiculo, ad imitationem Patrum, sex, decem, viginti, triginta, & plures etiam, vsque dum habeat concionator quod satis est, prælegantur.

Nostri itaque consilij (vt rem in compendium conferam) summa huc redit, vt ante omnia Studiosus videat, an quem locum enarrandum nactus est, is sit partitionibus hujusmodi opportunus; quod porro non ex versuum numero, sed ex ἑνοειδοτητος vnitate & simplicitate iudicabit. Postquam subducto calculo, aliquod partitioni pretium in tractione ordienda futurum esse intelliget, tum de tribus hisce videbit.

Primò, vt sine vlla arte, verbis quàm fieri poterit simplicissimis, partitiones proponat: nam qui hic quæret argutias, hoc vnum suæ diligentiæ præmium consequetur, vt dum acumen laudatur, obscu-

Digitized by Google

titas notetur : quæ cùm in omnibus orationis partibus ſedulò vitanda eſt, tum verò in primis in partitione, quæ cæteris partibus facem præfert. Equidem Eccleſiaſtas ſuperiori proximè ſæculo extitiſſe accepimus, qui id ſibi negotij ipſi darent vt in rhythmum ſuæ partitiones deſinerent, quos ſine riſu nemo jam legit : at hoc vos velim mihi credere, tolerabiliores iſtos nobis videri, quàm qui quæſitis ſententiarum elegantijs partitiones obſcurant : illi enim vt inepti ſint, obſcuri certè non ſunt, hi in vtrumque ineptiæ & obſcuritatis vitium incurrunt. Saltem M. Tullio crederent, qui partitiones ſuas tam exertè & ſimpliciter proponit : *primùm*, inquit, *mihi videtur de genere belli : deinde de magnitudine : tum de imperatore deligendo eſſe dicendum.*

Secundò eundem (quantum quidem rei natura patietur) in partitionibus ordinem ſeruet, quem in ſcribendo is ſeruauit, cuius verba aggreditur explanare : illæ enim quibus quod in fine locatum erat, luxatâ ſententiâ, ad initium reuocatur, doctis fortè proſunt, à turba minimè capiuntur.

Digitized by Google

Postremò, ne certum sibi partium numerum præfigat, quem eundem in concionibus semper sequatur: quod profectò non monerem, nisi esse scirem qui se in has angustias cogant: memini enim Viri boni & diserti, religiosi, vt loquuntur, instituti, cùm mihi diceret se concionatorem esse trium punctorum, sodalem qui aderat duorum, quod quid rei esse cùm me faterer ignorare, didici plures esse qui eam sibi, duram sanè & molestam legem imponerent.

Peruenimus ad Tractationem (quanquam sanè illa non tam concionis pars est, quàm concio integra perfectáque; cui Exordium, Partitio atque Concluſio tanquam appendices subseruiunt: sed Theologis, in istis minutulis, non licet esse tam accuratis; de re itaque videamus) quærunt, vtrum satius sit concionem continuâ, vt vulgò fit, oratione contexere, & singulis versibus horam solidam plus minus destinare: an prælecto per interualla textu sacro (quod in Eucherij Lugdunensis, Petri Chrysologi & aliorum, Latinorum præsertim, quibus hæc metho-

Digitized by Google

dus mirificè aliquandiu placuit, factitatum videmus) breues ad singulos versus obseruationes commentari, quæ authoris mentem simul explanent, nec Auditores morentur.

Neque verò facilè fuerit ad dicendum vtra pars rationum momentis præponderet: in vtramlibet enim animus te inclinet, multa erunt quæ eam tibi præ altera approbent: nam cui posterius hoc magis placebit, hæc ferè habebit quibus sententiam suam communiat: primò enim eâ viâ omnem ambitioni declamatoriæ ansam præcidi: secundò, memoriæ fulcrum parari, quæ loci ipsius inspectione excitatur. tertiò, parci tempori, cùm longiorem pericopam breuibus elucidare annotationibus multò facilius sit, quàm verba pauciſſima congestis hinc illinc obseruationibus illustrare. quartò, Ecclesiastarum studia promoueri, neque enim conciones fore, quod ferè nunc sunt, palęstram ingenij, sed commentationes eruditas Scripturarum: denique, populi Christiani (quod à me primo loco recenseri debuit) eâ methodo ædificationem iuuari, qui populus totum si-

Digitized by Google

mul ob oculos positum caput multò distinctiùs comprehendet quàm si pluribus per annum integrum concionibus distrahatur.

Pro altera parte pugnant Ecclesiastarum quotquot hunc sunt authoritas, qui se magno consensu ad eam applicuerunt: tum & experientia: nam cùm Viri Præstantes & apud Auditores suos gratiosi, ab hac recessissent, vt se alteri illi adjungerent, eâ nouitate multorum fuisse animos offensos accepimus.

Vtvt est (neque enim ego meum hîc iudicium interpono) nos ei quæ maximè invaluit methodo obseruationes nostras conformabimus. Prima hæc esto: debere Studiosum in *vnitate finis* (vt in Poëticis loquitur Aristoteles) seruanda magnam diligentiam adhibere: nam si in Scriptoris quem Ecclesiastes enarrat sermone primarium est institutum, quod in tota oratione dominatur; in Ecclesiastæ concione finis itidem præstituendus est, in quem, ceu scopũ omnia parua magna collineent: rem exemplo declaro: Scripsit Virgilius Æneida; vt hi libri intelligantur, hoc

primùm debet prudens lector quærere, quinam Poëtæ in eo opere finis præfixus fuerit; ex eo enim cætera iudicantur: nam si Poëta hoc sibi habuit propositum (quam audio esse multorum Literatorum sententiam) gentis Romanæ originem nobilitatemque illustrare, ab eo fine omnia incipiant & huc tandem desinant oportet; quòd itaque Æneas appellit in Africam, Carthagine commoratur, occultum ignem Didoni inspirat, id eò spectare debet vt Roma supra Carthaginem Romæ æmulam; author Romanæ stirpis supra conditorem Carthaginis efferatur: alioqui enim si appulsus Æneæ in Africā vt inutilis ædificij projectura, extra lineam extet, totam operis symmetriam conturbabit.

Equidem quantum inter Concionem rem sacram & poëma hominis Gentilis interſit intelligo: quantum scilicet inter cœlum & terram, & si quæ alia sunt, quæ magis a se inuicem distent: at illud certè in tanta dissimilitudine commune habent, quòd nisi vtobique vnitas finis adsit, quæ quæ diuersa sunt, in vnum quasi orbem reducantur, hiulcum & dispar erit quid-

quid inde exibit: vt in hoc versu: *quem proposuit Deus placamentum per fidem, in sanguine ipsius ad declarandam benignitatem suam, per præteritionem præcedentium peccatorum: ex Dei tolerantia ad declarandam benignitatem suam præsenti tempore: vt sit ipse iustus & iustificans eum qui est ex fide Iesu:* finis Apostoli est Dei propensam erga genus humanum beneuolentiam declarare; (sic enim nos eas voces δικαιοσύνη, δίκαιος cùm Deo tribuuntur, in hac Pauli disputatione interpretamur) illa enim, Deum primò, proposuisse Iesum D. placamentum: secundò, proposuisse placamentum per fidem. tertiò, in sanguine ipsius. quartò, per præteritionem præcedentium peccatorum. quintò, ex tolerantia (supple ἀπὸ τῆς χοινῆς *per præteritionem peccatorum quæ sunt*) præsenti tempore: illa, inquam, eò pertinent omnia vt ex ijs tãquam ex præmissis, hęc fiat conclusio, ergo Deus est δίκαιος, & vt latinè dicam, bonus, misericors, propensus ad condonandum.

Quare quęcunque in interpretatione huius loci de fide, de Christi sanguine,

de

Digitized by Google

de remissione peccatorum &c. ab Ecclesiasta allegantur, illa si ab eo fine abludant, animum nunc huc nunc illuc dividentem, incertum ad quam partem potissimùm sese attentum dare debeat.

Auditores ipsi fidem facient; nam si quis diuersos interroget, qua de re dissolutus iste concionator egerit, non vno modo respondebunt; alius eum de fide, alius de Christi satisfactione, alius de Dei tolerantia egisse affirmabunt; nec deerunt qui ista omnia simul jungant: Qui si ad finis vnitatem respexisset & vnam simplicémq; ideam, varijs vtiq; illustratam coloribus, reliquisset in animis Auditorum, vnam ab omnibus responsionem expressisset, *eum propensam Dei erga genus humanum benevolentiam pluribus declarauisse argumentis.*

Sed enim sanè nihil est in quo tota consilij nostri ratio clariùs eluceſcat, quàm si ijsdem verbis fines diuersi supponantur: sint enim ista: Deus ita dilexit mundum, *vt filium suum ad mortem dederit:* Deus ita odit peccatum, vt noluerit peccata remittere quin *filium suum ad mortem daret:*

Deus ideò filium suum summopetè exaltauit, quia *ad mortem tradiderat*: Deus in eo sapientiam suam manifestauit, quòd *filium suum ad mortem tradiderit*: habetis ibi quater repetitam mortis Christi mentionem, eadem verba, eadem significatio; & ecce tamen vobis pro diuersis finibus valdè diuersam considerationem eorundem verborum: nam qui primam sententiam enarrabit, illud in morte Christi præcipuè contemplandum proponet, quã durum sit patri filium charissimum, quem vnigenitum habeat, à quo nec verbo, nec facto, nec cogitatione offensus vnquam fuerit ad mortem dare; vt demum in altera orationis parte colligat, immensam fuisse dilectionem Dei, qui filium suum in quo ipsi complacuerat, dire morti addixerit: alter potissimùm demonstrabit, nihil esse in cœlo & terra, quod valori mortis Christi, quam ipse Deus iudex hominum dedit, vel minimùm æquiparari queat; vt dein concludat habere Dei seueritatem & iram aduersus peccatum, in quo planè acquiescat: tertius de ignominia mortis Christi multa differet: Iesum

D. natum in præsepi, assumptâ formâ ser-
ui, vt primis vltima responderent, *seruili*
supplicio extinctum fuisse, eiusque igno-
miniæ Patrem qui eum ad mortem dede-
rit, authorem fuisse, vt nemo miretur si
quem Pater summopere humiliauerat, eum
summopere exaltauerit: vltimus denique,
qui Dei mortem contemplatur, quâ Dei
sapientiam illustrat, hoc præter cætera in
morte Christi vrgebit, quòd cùm per
mortem Christi iustitiæ diuinæ nihil de-
cesserit, magna tamen illius misericordiæ
accessio facta fuerit: atque ita fiet vt par-
tes singulæ in se inuicem recumbant, &
concio non tam continuatione orationis
vna sit, quàm finis vnicate.

Hæc paulò fusiùs prosequi ideo libuit,
quòd hæc obseruatio nobis vice lydij lapi-
dis esse soleat, ad quem Studiosorum iu-
dicium exploramus: quod mox dicturus
sum non minùs est notabile, si modò à
me possit perspicuè exponi, rem igitur sin-
gillatim explicabo. Principio hoc nemo
negat, nihil esse Ecclesiastæ magis in votis
quàm vt attentionem Auditorum teneat:
nam vt ei omnia alia suppetant, si hoc

vnum modò desit, ipse se & eum alij parum beatum putabunt: tum & hoc nobis facilè concessum iri speramus, quod jam antè obiter tetigimus, attentionem nullâ re magis quàm recurrente sæpius orationis similitudine retundi: nullâ contrà magis quam varietate excitari: vnde iam sponte sequitur, nullum non Ecclesiastæ mouendum esse lapidem, quò orationem variè configuret.

Hæc hactenus clara sunt, & à nemine, quod sciam, vnquam negata: at quâ arte, diuersi, saluâ dignitate, quasi vultus orationi fiant, id verò est quod non ita facilè potest explicari. Nam Veteres quidem, quibus inter dicendum plausus dabantur & acclamationes fiebant, in objecta illa sermoni ab Auditoribus mora habebant vnde continuæ orationis tædium discuterent, at postquam eum morem, de quo tam multæ Iohannis Chrysostomi & Augustini extant querelæ, Ecclesia abrogauit, nobis alia nunc quærenda sunt quæ nostris moribus & populi Christiani majestati magis conueniant, hoc itaque nunc agamus.

Ecclesiastæ officium vel in actione, vel in stylo, aut denique in rebus ipsis versatur: & de actione quidem, quatenus in eam varietas induci queat, supra vidimus, cùm de pronunciatione & gestu ageremus: in stylo nihil inuenimus (obscuritatem semper excipio) quod audientiæ magis officiat, quàm si in eundem orbem vsque & vsque redeat, iisdémque numeris aures pulset: nam quod est homini decumbenti gutta paribus interuallis decidens, eóque æquabili sono sensus sopiens, idipsum est animo eadem sermonis & sui semper similis conformatio. Quò magis Ecclesiastam par est in id omnes ingenij sui neruos intendere, vt rerum, quas stylo tanquam penicillo depingit, varietatem imitetur; illud autem non tam suapte difficile est quam necessarium: cùm *nihil sit tam tenerum, neque tam flexile, neque quod tam facilè sequatur, quócunque ducas, quàm oratio.*

Nisi quod (oportet enim αἴτιον αἰτιᾶσθαι) aliquam esse bene scribendi & bene loquendi artem, ab ea quæ nunc Rhetorica vulgò vocatur diuersam, Studiosi non-

dum intelligunt : in quo grauissimè falluntur : est enim bene scribendi & bene loquendi aliqua, non minus quam canendi & pingendi scientia; quam qui exercitatione prius non didicerit, nihilo magis dicere eloquenter poterit, quàm vir ἄμουσος canere, aut pingere qui penicillum nunquam tractauit. Et optaui quidem ego sæpius vt Studiosa Iuuentus, postquam inferioris scholæ spatia emensa est, & iudicium maturuit, publicis stipendijs constituerentur Magistri, qui quo loco singulæ dictiones in oratione disponendæ sint; quomodo orationis periodus; quàm particularum grammaticarum varius sit & multiplex vsus ex professo docerent : afferret enim ea sex septem mensium, anni ad summum spatia ad totum studiorum rationem magnum compendium.

Sed quoniam styli exercitatio ad Tractationem non magis quam ad cæteras partes attinet, & nos de Tractatione nunc agimus, ad ea quæ Tractationi propria sunt nobis propius accedendum est.

Tota Tractationis materia vel in docendo, vel in illustrando consistit : & in

docendo quidem hoc sollicitè cauere Ecclesiastes debet, ne rationes in vnum globum conuoluat: agglomeratos enim illos ratiocinationum vortices, cùm ad mentem confertim appellunt, animus audientis repudiat, nec ijs tam imbuitur quam obstipatur: *quomodo vasa angusti oris superfusam humoris copiam respuunt, sensim autem influentibus, vel etiam instillatis complentur:* attextis itaque appendiculis, ceu interstitijs singula argumenta distinguat; nam sic Auditoribus otium dabitur vt ea animo recondant: & quod nunc petimus, oratio in diuersas formas fingetur.

Illas porrò, quas quòd vox sese non offerat commodior, rationum appendices vocamus, innumeras ipsa suggerer argumenti natura: vt sunt ista: *quæ à nobis allata est ratio, sese habet instar principij, ex quo duæ aliæ necessariò consequuntur: vos quod hactenus feciſtis, me dicentem patienter audite:* vel, *quæ à me mox afferetur ratio, ea erat quæ N. Vir Sanctiſſimus plurimùm vtebatur:* hîc pausa breuior, fit, postquam saluam Auditoribus

mouisti : vel, *hoc literatis tantùm dico, paulò enim difficilius est :* & si quæ sunt alia id genus, quæ Ecclesiastæ nunquam deerunt, his etiam meliora, & è re nata aptiora.

His accedant opportunæ parentheses, quibus animus longa auditione fessus jam & abjectus arrigatur : vt si quis de ebriositate vniuersim differens, hæc aut his similia, quum nihil minùs expectant Auditores, paulò commotior interserat : *& audio quidem ego plures esse in hoc cœtu, qui eam artem exerceant : quàm verus is sit rumor nescio, Deus scit, & eorum hominum, si qui sint, misereatur oro per Christum D. Amen.* Dein subdito hoc stimulo qui ebriosos inquietet, sermonis filum placidè resumat.

Parentheſibus annumeramus Digressiones, quæ vt Studiosis defectu authoritatis parum idoneæ sunt, ita cum ab Ecclesiasta adhibentur, magnam ad recreandos Auditorum animos vim habent ; si tamen ijs quasi legibus circunscribantur ; primo, vt ijs Concionator rarò vtatur ; deinde, vt cùm ijs vtitur, se ab instituto digredi, di-

Digitized by Google

gressum in viam redire expressè moneat: postremò, vt his de rebus sint, quę vel insigni eruditione, vel singulari vtilitate eminent: & hoc quidem posterius ego sanè malim: nam vt solent viri vrbani & graues, (vt istud adhuc ego ex conuersatione quotidiana mutuer) si quem in familiaribus congressibus conspicentur, qui minùs laudabiliter vitam instituat, multa in colloquio spargere, quæ illius nepotis aurem vellant: non aliter Ecclesiastes, quem gregis sibi à Deo commissi *cura coquit & versat sub pectore fixa*; si quem mercatorem furacem, aut maritatum hominem adulterij suspicione iure grauatum esse audierit, in omnem occasionem intentus erit, quò peccatores istos è veterno excitet: ea autem si se vltro non dat, illam quoquo modo etiam per diuerticula arcesset: nam vt fere iucundum est quod vtile, pręter optatum finem, conuersionem scilicet Auditorum in melius, & illud, tanquam τέλος ὀπιγενόμενον acceder, quòd oratio grata varietate diffindetur.

In re illustranda (quod secundo loco à nobis positum est) *verbositatem*, si quid

aliud, sedulò fugiat: *verbositatem* faciunt quæ sunt τῆς αὐτῆς ἐννοίας, & in scholis synonyma vulgò vocantur: illa enim vt in singulis dictionibus tolerari, immò & laudari aliquando contingit, ita in sententijs nunquam non ingrata aduenium: Gallis præcipuè, qui ob calidam & feruentem indolem ferre non possunt si quis nouæ rei expectatione quasi hiantes, crambe repetitâ deludat. Iudiciosissima est ad eam rem Senecæ de Montano censura controuer. 28. *Habet*, inquit, *hoc Montanus vitium, sententias suas repetendo corrumpit, dum non est contentus vnam rem semel bene dicere, efficit ne bene dixerit; & propter hoc & alia, quibus orator potest Poëtæ similis videri, solebat Scaurus Montanum inter oratores Ouidium vocare, nam & Ouidius nescit, quod bene cessit relinquere.* huic porro vitio obnoxium est duplex hominum genus, vel qui cogitandi laborem ferre non possunt: vel qui disciplinis animum excultum non habent: nam qui ideis quasi tessellis orationem variet, eum oportet esse inuictæ in cogitando patientiæ, & multijugæ lectionis.

Digitized by Google

Sed in voce sunt omnia, quæ si modò ritu torrentis feratur, qui summo è monte vertice magno cum fragore devolvitur: modò, velut placidus amnis, sedatè & lenitèr fluat; aliquando etiam consistat, aures non minus delectabit, quàm oculos aulæorum crebra in scena mutatio: verùm hoc ne tentare quidem ijs suaserim qui sunt tardioris naturæ; nam omnis paulo notabilioris mutationis in voce vehiculum est illa iam antè à nobis laudata διήγησις, quæ si adsit Theodori φωναρκικὸν non magnopere Ecclesiastes desiderabit: si absit, *nullum*, inquit Gregorius Nazianzenus, *quod ad pietatem spectet, aut ad virtutem aliam peragi rectè potest.*

Sed hæc generatiora sunt & toti Tractationis corpori adspersa: quę sequuntur, quia sunt genere & usu multiplicia, quasi pet saturam huc conferam. Postquam locum aliquem Scripturæ Studioso enarrare decretum fuerit, tum omnibus omissis, si quid obscuritatis vel in verbis, vel in ipsa sententia resideat, id statim in limine, rejecto omni orationis fuco clarè, simpliciter & scientificè explanabit. Quod ce

rebrosis istis ex tyronum numero declamatoribus præcipuè dictum volo, qui antequam de sensu loci quidquam constituerint, vela pandunt eloquentiæ & in affectuum campum excurrunt: Qui profectò tamen architectum irriderent, si nullo supposito fundamento, domum fastigiare niteretur: vel Aduocatum, qui *facti*, de quo lis intercedit, nullâ dum narratione institutâ, judices ad iram aut ad misericordiam se prouocaturum speraret.

Si loci prælecti tota vis sit à metaphora (quales ei qui adstrictas in dicendo leges sequatur omnium difficillimos iudicamus) se intra metaphoræ limites contineat: si res gesta narratur, styli historici tenuitatem commentario æmuletur: si error confutatur, habeat lacertos oratio & ἀγωνιστικὸν spiritum: tum & in causæ subsidium nihil adducat, ex quo eum esse Peripateticum, Stoïcum, Academicum, aut vlli alij Sectæ præ cæteris addictum quis concludat; illa enim parum sunt Theologicæ dignitatis, & sæpe in ineptias degenerant: vt illud erat Concionatoris scioli, qui vt Auditoribus probaret suis, Homi-

Digitized by Google

tem esse omnium animalium facilè principem; hoc argumento vtebatur, quòd cùm cæteris animantibus nouem tantùm, Homini præter illas Categoria Habitûs competeret; Qui tamen Asinum clitellatum opinor aliquando viderat.

Denique & hoc moneo, Conclusionem intra breue, & definitum quidem tempus concludi debere: dico primùm breue, quia non secus ac aqua adspersam salis certam quantitatem exsoluit, saturata semel, quidquid superaddideris, inexolutum relinquit, quòd ei nulli ampliùs superstint pori, qui sint salis figuræ commensurati: ita est in animo, vel cerebro potiùs, cuius seruitio animus vtitur, determinata capacitas, quâ expletâ, quidquid suprà adijcitur, ὑπερολάζει, nec in intima admittitur.

Dixi secundò Tractationem intra definitum temporis spatium esse concludendam: cur verò? quia longioris moræ tædium consuetudo lehit: nam spiritus animales, quorum cursu & recursu ad cerebrum auditio peragitur, si idem semper eâdem horâ, eodémque loco decurrant

ſpatium, ad primam ſtatim impreſſionem in idem facilè aguntur ſtadium, quo decurſo languent deficiuntque.

At quænam temporis menſura attentioni Auditorum potiſſimùm accommodata eſt? hoc enim non ineptè aliquis queſierit: reſpondeo, diuerſam pro diuerſa Auditorum indole præfigendam videri; at γενικῶς loquendo, horæ ſpatium toti concioni deſtinandum eſſe, ita vt quarta horæ pars exordio ſimul & concluſioni impendatur, reliquas abſumat Tractatio: neque enim profectò de nihilo eſt quòd omnium gentium & ſeculorum Eccleſiaſtæ hoc termino ſuas conciones circunſcripſerunt: quippe ſolitos Veteres in quocunque tandem articulo eos vltimum horæ punctum deprehendiſſet, ibi ſermonem abrumpere, iſta ſatis declarant, quæ apud eos paſſim legas: *huius quæſtionis difficultatem moleſtiſque ſemper vitaui, quòd ei verbis ad horam occurrentibus me poſſe ſufficere non putarem: quæ cùm multa ſint, & tempus horæ perbreue, pauca capiam: prætermitto iſta propter euntem horam; propter horæ breuitatem hîc omnia*

contenti: date veniam, Fratres, si intra hora vnius vix momentum, rem tantam aperire non possum. Quæ quanquam sunt sapienter constituta, hanc veniam petimus nos & vicissim alijs damus, si quis in eò ingenio suo aliquantulum indigeat. Hæc sunt quæ ad Tractationem obseruanda nunc occurrunt: cætera, quæ pro circunstantiarum diuersitate in immensum propè variant, vniuscujusque prudentiæ & iudicio relinquimus.

Restat vltima pars Conclusio; cujus magnum est apud Auditores, præsertim verò apud plebem Christianam momentum: nam qui cæteris partibus felicissimè defunctus fuerit, si eum in Epilogo sua deficiat industria, parum acceptus recedet: qui contra omnia alia segniter tractauerit, si se in extremo actu accuratum & diligentem adhibeat, laudem, & plausum etiam ab Auditoribus reportabit: non modò quia quæ vltimò aduenium, acriùs irritant animos; sed verò in primis quòd Auditores, qui se in Tractatione paulo omissiores dederant, aurem vtramque tum maximè commodent, quando ea

sibi dictum iri sperant, quæ ad suos vsus proximè spectent.

Cæterum illa quam in peroratione commendamus diligentia, hâc re maximè apparebit, si nulla sit diligentiæ suspicio; sed omnia fundi ex tempore & ex exuberanti pectore videantur: neque enim in Conclusione ingenium & doctrina, sed animus & affectus laudantur: breues itaque sint periodi & maximè populares, voces petitæ è medio, sed ardentes tamen: cuius notæ sunt illæ Chrysostomi: *obsecro vos per Christi viscera, hoc mihi quæso concedite; finite quæso; Dilecti, hoc vos exorem.* Absit omnis curiosior obseruatio; omnes acutæ sententiolæ, quæ hortationum pondus frangant; omnis opinio doctrinæ, quæ attentionem in vnum intentam distendat infringátque: nam quia res suas tum maximè agit Conscientia, indignatur, si se sacris suis ingenium immisceat.

Hæc breuissimè perstringimus, quòd nos scriptura ad se vocet, & interruptum pridem pensum repeti imperiosè flagitet: vnum addam, de quo nostram Studiosus nuper

nuper sciscitabatur sententiam: vtrum scilicet satius esset τὸ ἠθικὸν per totam Tractationem disseminare, an Conclusioni vt loco proprio reseruare. Respondi, quod & nunc dico, Conclusionem nobis non esse censuram quamlibet morum; aut παραίνεσιν & hortationem ad virtutem; sed quod scitè Nostris dicitur, *applicationem*: quum quod est generaliter dictum de moribus, ad hos vel illos Auditores applicatur: nam quia omnium ordinum, agricolarum, militum, mercatorum eadem sunt vitia: auari enim sunt, libidinosi, superbi &c. ideò sapientis Ecclesiastæ est, quotiescunque commodum erit, libidinem, auaritiam, superbiam &c. insectari: at enimuero quoniam pro officiorum diuersitate, aliter agricolæ, aliter milites, aliter mercatores auaritiam, libidinem, superbiam exercent suam, prudentis simul & deuoti Ecclesiastæ est, quæ de virtute sunt alibi in genere proposita, in Conclusione ad singulos accommodare, vt quæ nautis, exempli causâ, in epilogo dicta sunt, militum vsibus parum sint opportuna, quæ militibus, ad aulicorum

mores non nisi incommodè referantur.

Vnde hoc sequitur corollarium, nobis non probari qui loco Tractationis *Scholae*; loco conclusionis vaga virtutum incitamenta proponunt: Medicum enim videntur imitari, qui ad hominem vocatus ex tertianis decumbentem, de febrium ortu, causis signisque multa narraret: tum febrim tertianam φλεβοτομίᾳ curari tandem concluderet: cùm neutrum sit satis ad rem: neque enim quærebatur, quenam esset natura febrium, aut quomodo tertianis medicina fieret: sed hoc vnicè, quibus remedijs hæc febris, cum his symptomatis ex illo homine expelli quiret: non aliter isti, de Ecclesia, justificatione &c. in Tractatione multa strenuè commentantur: quibus assuunt liberalitatis, humilitatis, aut alicujus alius virtutis, vt cecidit, laudem; intemperantiæ, superbiæ vituperium: vnde sequitur debere Auditores summo studio illa prosequi; hæc toto animo detestari: at hoc te velim mihi credere, O bone! nos non optare admodum, hodie quidem certè, audire quid sit Ecclesia, quidue justificatio; aut quibus re-

mediis vitium sanetur ! istud præcipuè auemus scire, quid Ecclesiæ, quidue justificationi tribuatur hoc loco, quem tu nuper prælegisti : aut quænam sint *specifica* remedia, quę huic cœtui, puta Pictauensi, Parisino, Rupellensi &c. applicari debeant : nam quandoquidem tu re harum animarum profiteris Medicum ; earum ægritudines, morbos, fastidia tibi non minùs nota esse oportet ; quàm Medico temperamentum ægri ad quem adhibitus sæpius fuerit : quam etiam causam esse existimamus, cur Studiosorum ferè clumbes sint & ieiunæ perorationes : nempe definitum gregem illi non habent ; in quem sua vibrent spicula.

At laudantur tamen, inquies, profundi illi Theologi, qui pro concione ad populum locum aliquem communem eradite ἐξουνχίζουσι ; sanè laudantur, at cedo, à quibus ? nam laudari sanè pulchrum est, sed, vt ait ille, à laudatis : verùm qui hæc laudantur si sunt quos ; vtcunque de cæteris ipsi prudentissimi sint, ad pietatem parum prodesse res ipsa & tacitus Conscientiæ fletus clamat : qui laudant, sunt vt plu-

rimùm homines imperiti, qui ea maximè admirantur, quæ obscuris sub verbis latitantia cernunt: sed quoniam nobis illi Tractatores non credent, neque nos postulamus, ipsi pro sua pietate ex Auditoribus quemcunque libuerit, cerdonem, mercatorem, aulicum interrogent, ecquid ex docta illa *profundaque* concione bonæ frugis collegerit, & mirabor nî eos tam malè collocatæ operæ pœniteat.

Hæc ferè sunt, Humanissimi Auditores, quę de ratione concionandi dicenda habebamus; ex quibus sibi tantum quisque sumet, quantum ferre humeri valebunt, aut suis rationibus expedire ille iudicabit: neq; enim adeò injusti sumus, vt in tanta donorum, quibus Deus genus humanum discriminauit diuersitate, parem ab omnibus facundiam & accurationem exigamus: aut ita confidentes, vt in re, de qua docti juxta & indocti sibi passim faciunt iudicandi licentiam, nos ratos canonas potuisse putemus: sed cùm Studiosos obseruassem hoc vnum suâ diligentia consequi, vt à natura longiùs recederent quam recessuri erant, si se successûs securi suæ

indoli permisissent, committendum non putaui, vt quorum vtilitati seruire me officij mei ratio & animus iubet, ijs in re omnium maxima deessem opportunus monitor; quò si minus laudem mereantur, hoc certè obtineant, vt vitent culpam: quod ipsum *vitare culpam*, summo Viro tantum visum est, vt si quem Concionatorem vellet egregiè laudare, eum non alio quàm Ecclesiastæ non inepti titulo exornaret: vellem deuotionem elogio addidisset: nam ita tum nobis boni Concionatoris definitio bellè procederet; *qui non ineptit, & deuotus est*: & nos quidem non aliam ad non ineptiendum compendiosiorem viam esse ostendimus, quàm si quid in quotidianis colloquijs Natura ex proprio fundo promat sedulò obseruetur; Deuotionem verò quę potissimùm pariant & partam foueant, nemo ignorat, & à nobis ante declaratum est, jeiunia, secessus, Scripturarum lectio in timore & tremore, & supra omnia preces, quæ vt suum Deuotioni ortum debent, ita vicissim Deuotionis sunt pabulum.

Facere autem non possum quin ante-

Digitized by Google

quam hunc tractatum concludam, orationis formulam, qua B. Ambrosium, quem insignis sua pietas multò magis quàm eruditio commendauit, plurimùm vsum esse accepimus, vobis imitandam proponam. *Obsecra, Domine* [ajebat ille proximè ante concionem] *& suppliciter roga, da mihi semper humilem scientiam, quæ ædificet: da mitissimam & sapientem eloquentiam, quæ nesciat inflari, & de suis bonis super Fratres extolli: pone, quæso, in ore meo verbum consolationis, & ædificationis, & exhortationis per Spiritum sanctum tuum, vt bonos admeliora valeam exhortari, & eos, qui perversè gradiuntur, ad tuæ rectitudinis lineam reuocare verbo & exemplo. Sint verba, quæ dederis seruo tuo tanquam acutissima iacula, & ardentes sagittæ, quæ penetrent, & incendant mentes audientium ad timorem & amorem tuum.* Sed hæc hactenus. Faxit Deus vt quæcunque à me audiuistis cedant ad Ecclesiæ ædificationem & salutem nostram. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

DE VTILITATE PHILOSOPHIÆ AD THEOLOGIAM.

HVMANISSIMI AVDITORES.

STATVIMVS de vtilitate Philosophiæ ad Theologiam breuiter aliquid hodierna die disputare; vt ad elucidationem celebris quæstionis, in qua Virorum Magnorum laborauit industria, nostram & nos pro modulo symbolam conferamus: nam si ea demum loca lustrare Lector publicus instituat, *quæ nullius autè culta solo*, tyronum vtilitati pessimè consuletur, quibus vtique de alio Lectore videndum erit, qui se ad peruul-

gata illa ducem & præmonstratorem adhibeat. Ego certe, vt de me aliquid dico, adeò non affecto noui argumenti tractator videri, vt contrà semper ita existimarim, argumentum quò pluribus dictum est & tritum magis, eò majorem illius habendam esse rationem; tum quod quæ vulgò nota sunt ignorare turpe sit: tum verò inprimis quòd quæ maximè communia, eadem maximè esse necessaria experientiâ compertum sit: agedum in Studiosorum gratiam qui nobis è Philosophia recentes adueniunt, ego de proposita quæstione nostram primùm ponam sententiam: quam dein secundo loco argumentis confirmabo: vt si quid ab iis qui contrà sentiunt afferatur, vltimò profligetur.

Theologorum, qui quidem animo nunc occurrunt, duplex est de vsu Philosophiæ in Theologia, eáque toto genere opposita opinio: quippe alij de Philosophia non aliter loquuntur sentiúntve ac si eâ nullo suo damno Theologus careret: alij contrà de Theologia actum putant, ni in eius subsidium Philosophia aduocetur: vtrosli-

Digitized by Google

bet sequatis, multæ vtrinque ambages, multa sese dant incommoda: nam qui omnem Philosophiæ ad Theologiam vtilitatem abiudicant, videntur illi cum experientia atque adeò secum ipsi pugnare; cùm omnes rerum Theologicarum tractatores, & illi vtique qui in Philosophiam ita inclementer dicunt, suæ Disciplinæ theoremata Philosophorum canonibus vt plurimùm suffulciant: qui Philosophiam contrà in Theologiæ communionem & societatem adiungunt, vereri debent ne Theologiæ majestatem rerum prophanarum mixturâ contaminent: & expectatis vos opinor vt dicam ad vtram partem in tantis angustijs me applicem, liberè dicam, neutros sequor, ita tamen vt cum vtriusque merito respectu faciam: quid autem illud sit ænigmatis fato vt in sequentibus intelligatis.

Principio hoc vos sedulò notare velim, (quod nostra de ratione studij Theologici dissertatione subindicauimus) idem propè Theologiæ euenisse quod omnibus alijs Disciplinis solet euenire, vt cùm à prima origine recedunt, prout sunt hominum

ingenia à quibus tractantur varia, ita variè mutentur, interpolentur, corrumpantur: ferè sicut riuuli qui aqua pura & limpida primùm scatent, soli demum quod transcurrunt colore, frigore, odore, cęterisque qualitatibus imbuuntur.

Hoc sanè, ne alia commemorem, Philosophiæ Aristoteleæ fatum fuisse, mirabor si quis sit qui negare sustineat: nam qui Aristotelis διαδοχὴν continuarunt Theophrastus & Strato, eam Philosophiæ Peripateticæ ideam animo effinxerant, quæ, quantum quidem ex sparsis hic illic illorum authorum fragmentis æstimare licet, ab ea multum recedit quam Themistius, Simplicius, Alexander &c. in suis scriptis adumbrarunt. His successerunt Scholastici, ita enim appellantur, qui nouam & ipsi Philosophiæ Peripateticæ rationem inuenerunt, quàm feliciter dicere hîc nihil attinet, neque id nostrum institutum postulat, à prioribus certò duabus totâ viâ abhorrentem: & vna tamen est Philosophia Aristotelis, vt hos aut illos à recto tramite necesse sit abertasse.

Quòd si quis sit qui eandem esse Disci-

plinarum, quæ cæterarum rerum est, vicissitudinem mireturr, næ ille in natura humana cognoscenda parum profecit, qui nondum obseruarit rem eandem, eidem oblatam homini, nunc fastidium facere, mox mutatis rerum visibus abblandiri; quò minùs mirum videri debet, si in tanto temporis spatio, quod inter Theophrasti ævum & nostrum interfluxit, accedente incredibili illa linguarum, morum, religionis, soli, educationis diuersitate, Philosophiam Aristoteleam pro diuerso capitu & sensu suis quisque vsibus, indoli & institutis aptarit; vt qui eam discrepantia doceant, ex eadem familia prodijsse, nisi id nos librorum commentariorum titulus admoneret, ne minima quidem possis suspicione diuinare.

Et optandum quidem fuisset, vt quantum Theologia supra Philosophiam eminet, tanta in ea tractanda homines religione vsi fuissent: at id secus accidisse, ita sinente Deo, res clamat, nec ego dicerem, nisi librorum qui publicè prostant, lectio indicaret: nam si à nostris temporibus retrorsum pergendo vsque ad Apostolorum

ætatem, proximum quodque sęculum cum superiori conferatur, nemo erit paulo sagacior, qui mutationem, minutis auctibus, per singula sęcula subrepentem facilè non sentiat: quanquam enim est illa centum annorum decursu patum notabilis, cùm plurium seculorum accessit cumulus, dici ferè non potest quantum sit, quod inde excrescit: sicut nec anni ex flore iuuentæ singuli multum deterunt, qui senis vultum vniuersi ita deformant, vt nullus senex ab vllo sene tantum differat, quantum senex à se ipso infante distat.

Illa porro diuersitas in methodum & exteriorem quasi Theologię habitum grassari non contenta, in ipsa Disciplinę nostræ venas & viscera trajecta est: nam qui tribus primis sęculis vixerunt, de pluribus religionis Christianę capitibus aliter senserunt, quàm quorum vita inter Constantini & Marciani ætates interjecta est: qui dein continuò sequuti sunt ad octauum vsque sęculum, quo Iohannes Damascenus florebat, tantum de genuino illo Theologię colore detraxerunt, quantum non existimator modò doctus & intelli-

gens, sed quiuis è populo possit cognoscere; vsque dum Scholasticorum disciplina exorta est, quæ nouam rebus induxit faciem & Theologiam exacuere professa, nouam dedit.

Immò in ipsis illis doctrinæ capitibus, in quibus alioqui de rei summa magna est cum Antiquitate consensio, tanta est in modo rei exponendæ discrepantia; vt qui eandem hodie viam insisteret, quam Veteres illi sibi insistendam putarunt, eum ab hæreseos suspicione tantorum Virorum authoritas parum tutum præstaret: quotus enim quæso quisque est ex eorum numero, qui se tanquam omnis orthodoxias canonas venditant, qui sciens & volens omnibus subscribat, quæ B. Athanasius de S. Trinitate commentatus est vel qui bonâ fide omnia approbet, quæ B. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus aduersus Nestorium disputauit.

Quòd autem non desint etiamnunc, qui rem ita claram, quámque ipsa oculorum inspectio deprehendit, præfractè negent, id ideo est quòd mutationem iam longo vsu constabilitam & additis etiam legibus

Digitized by Google

communitam; illi ad primam originem reuocare non norint: cùm eam aliquando fecerit Imperatoris, ad cuius exemplum se cæteri componunt, præconceptum aduersus aliquam doctrinam siue studium siue fastidium: succrescentes hæreses, aduersus quas dum omnia sua dogmata, ceu aciem aduersus ingruentem hostem, Orthodoxi intendunt, nouam suo systemati structuram, nouas loquutiones addiderunt: Virorum magnorum authoritas, quorum libri paulatim ex præpostera hominum admiratione, legis authoritatem obtinent: Ecclesiastarum parum prudens oratio, qui siue vt sacra à contemptu vindicarent, siue vt Catechumenorum cupiditatem accenderent, siue quam aliam ob causam, quam diuinare nihil attinet, res sæpe simplicissimas cothurno tragico & dithyrambicis ampullis exornabant: sexcenta sunt alia id-genus, quæ nouæ circunstantiæ noua vsque & vsque dabunt.

Atque hinc sequitur, (eò enim tendebat oratio) Theologiam duplicem habere respectum; alterum ad primitiuam dogmatum naturam, sine vlla industriæ hu-

manæ admistione : alterum ad hoc sæculum, hanc gentem, hunc hominem qui nostra Disciplina vtitur : equidem priori illo modo spectata Theologia, quia est virtutum Dei, apud quem non est *transmutatio, aut conuersionis obumbratio*, viua & spiratis effigies, supra omnem mutationis aleam est & per interminabilem sæculorum seriem eadem perseuerat : sed enim si consideretur vt est ab ingenio humano informata, ingenij humani, cui inhæret, sortem experitur, quod quia mutabile est & cereum flecti in opposita, nihil mirum est si ad illius similitudinem Theologia configuretur.

His ita in anteceſſum præmiſſis, dico Theologiam vt respectum habet ad homines, eam esse quæ Philosophia non ita commodè caritura videatur : neq; verò ratio difficilis est, aut nimis longè petita ; cùm enim omnes Theologorum ordines, quotquot sunt sparsi per orbem Christianum, in id summo consensu conspirarint vt Philosophica Theologicis subſtrarent, planè sine alis, quod dici solet, volare instituit, qui sine Philosophiæ subsidio

Theologorum tractatus se intellecturum confidit: nam vt vocabula technica hîc omittam, quæ propè innumerabilia è Philosophia in Theologiam noui Tractatores comportarunt: quæcunque præterea de Incarnatione, Trinitate, peccato Originali, libero arbitrio & cæteris huiusce modi vulgò disputantur, illa notionibus accidentis, substantiæ, modi, naturæ, suppositi adstruuntur, vt qui in ijs nunquam institutus fuerit, frustra operum ponat.

Quid verò Sophistarum griphos & nodos perplexabiles hîc commemorem, quos qui ex arte, & vt solent illi loqui, formaliter non soluerit, suis fabula fiet, Aduersarijs ludibrium: atque ea est ratio cur vobis subinde author esse soleam, vt Philosophiam Theologiæ, si non comitem & sociam, neque enim seipsa tanto honore dignatur, at quod proximum est, famulam adjungatis: & sic esto concluſa distinctionis nostræ pars altera.

Verùm enim ego, Auditores, hâc dissertatione majora molior: quæro enim an Theologia, non quo loco nunc est, varijs variorum attrectata, vel etiam contamina-

nata

nata manibus, sed ab omni hominum sa-
tagente curiositate & studio abstracta;
Philosophiæ cognitionem requirat: vel,
vt clariùs rem proponam, an iusta causa
esset, cur receptis cœlo Apostolis, cùm res
adhuc integra erat, qui illis temporibus
viuebant Christiani Philosophiam in
Theologiam inferrent: plerique ferè om-
nes aiunt, nos negamus; vtri meliùs ipsi
iudicabitis, postquam in singulas partes
rum fuerit.

Quidquid Philosophiæ nomine vulgò
circunfertur, illud Matheseos, Physicæ,
Ethicæ & Metaphysicæ ambitu contine-
tur: quibus si quis Logicam annumeret,
siue Instrumentalis, siue Principalis partis
titulo, me non habebit magnopere repug-
nantem, qui istas λογομαχίας ipse non mo-
ueam, & ab alijs motas facilè asperner:
quare si hoc semel probauero inter enu-
meratas partes nullam esse, cui aliquod sit
in Theologia pretium, quo quidem sensu
illa à nobis hic spectatur, institutum abun-
dè opinor confecero: de Mathematicis
itaque primum dicamus.

Sanè si quis sit qui Mathematicas Disci-

plinas faciat plurimi, me eum esse lubens profiteor; qui sæpe dicere soleam vbi ab ijs discessum est, nihil in Philosophia vspiam inueniri, in quo tutò pes ponatur: cùm si quid claritatis alibi, vel in syllogismorum figuris; vel in quibusdam Physicorum demonstrationibus illuceſcit, illud, quantum quantum est, Mathematicorum hypothesibus acceptum referri debeat: nos itaque Mathesin (idem enim iterum dicam) facimus plurimi, ac hactenus tantùm, si se intra Philosophiæ pomœria contineat, nec in Disciplinam nostram irrumpere moliatur: nam quæ vt Philosophica mirabamur, si vltra sortem sapiant & rerum diuinarum satagant, inepta, puerilia, stulta repente nobis fiunt: amplius dico, qui sit excellentissimus Mathematicus, eum excellentem Theologum esse *non* posse; causam quæritis? facilem dabo. Nempe Mathematicorum demonstrationes ad Imaginationis sphæram attinent: Theologicæ contrà rationes Imaginationis æstimatione adeò non stant cadúntve, vt ijs sua aliter nequeat constare veritas, quàm si intellectus ab Imaginatione abdu-

Digitized by Google

catur. Quare si quem Mathematicum qui in sua arte consenuerit, à puluere & radio excitemus, vt nostra pro Verbi Diuini diuinitate argumenta ponderet, ille Imaginationi immersus vt est, ab sublimia illa nunquam poterit assurgere; quin consuetudine pensitandi res inferioris ordinis, tanquam pondere degrauatus, deorsum subinde relabetur: miracula proponis? tum sibi ille probari postulabit, nullam esse tantæ potentiæ creaturam, quæ dissectas corporis partes recomponere & animam in eas postliminio inducere valeat: Prophetias vrges? sibi apodeicticè ostendi petet, Deum solum esse, cui rerum contingentium præscientia conueniat. Enimuero hoc ipsum est quod Vir impius, cætera Maximus (cuius nomini parcere, quàm sepultum infamare satius fuerit) satis apertè testatus est, quando morti proximus, cùm pro more scisciteretur qui morienti assistebat Ecclesiastes, ecquid de fide Christiana sentiret? *hoc vnum*, inquit, *his duo esse quatuor*: quod qui eo rerum articulo profitetur, hoc clarè videtur dicere, nihil à se in negotio religionis recipi.

nisi quod cum Mathematicorum demonstrationibus de claritate certet.

Verùm quoniam de Matheſi nulla adeò magna lis est, & si quis contra obnitatur, facilè refelli potest, ad Physica veniamus.

Equidem si quid compendij ex Physicis ad artem nostram redeat, id, quantum quidem intelligo, in duabus maximè rebus consistit: Primò, quòd à rebus corporeis ad incorporeas, à natura ad authorem naturæ animus euehatur: *inuisibilia enim Dei, æterna videlicet eius tum potentia tum bonitas, à* tempore *creationis mundi, ex ijs quæ sunt condita intelliguntur.* Rom. 1. Secundo, vt quædam Theologiæ capita ex Physicorum principijs illustrentur.

Primum illud existimamus majori fastu quàm effectu dici: nam qui Deum existere ex huiusce Mundi contemplatione intelligit, nihil dum habet supra Philosophum, cùm quidquid ex Physica arcessitur, supra naturam non extet, Theologia autem (Christianam dico, de qua nobis instituta est disputatio) supernaturalia mo-

ditetur, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt*: & vt cognitionem Dei quam suggessit naturæ diligens speculatio, partem Disciplinæ nostræ non minimam constituere concedamus, quæstio integra adhuc manebit, an sit tanti quod ad eam rem *cursus Physici* nobis conferunt: hoc enim liberè fateor, me vt credam Deum esse, nautæ qui vtrumque mare sæpius nauigarit auditione: aut hypomnematum, quæ de rebus à se inter peregrinandum obseruatis viri curiosi ediderunt lectione, multò magis commoueri, quàm omnibus acroasibus, quas vnquam Aristoteles, siue quis alius Magister suis discipulis dictauit: cùm non causarum ipsarum cognitio, quæ ad nos, si verum dicere amamus, non pertinet, sed experientiæ tantùm & effectuum scientia, Dei, quam in intimo pectore quisque gerit, notitiam corroboret.

Et vos quæso istos mihi videte, qui rerum causas tanta cum anxietate queritant, & facilè intelligetis esse aliquid in natura, quod *vim ingeny humani obterit*: nam illi quidem sanè, qui id vnum pro-

Digitized by Google

fitentur se scire, magnam esse inter effectus & quas effectibus assignant causas proportionem; cæterum se ignorare, an illæ ipsæ causæ fuerint quas Deus adhibuit, cùm ei, præter illas, innumeræ aliæ non minùs commodæ aut efficaces suppeterent, illi, inquam, quid præter probabilitatem auditoribus proponant, nihil habent: neque verò Peripateticorum melior est, hîc quidem certè, causa: quandoquidem enim, si eos audias, forma omnium effectuum prima & radicalis causa est, omnium autem corporum formas, præterquam hominis se nescire vltro illi concedunt, simul concedant necesse est omnium effectuum causas à se ignorari, ijs tantùm exceptis (quanquam de ijs etiam dubito) qui ab humana natura fluunt: videte autem quæso an Theologo ære sua tantum sit otij, vt in re tantilla, nisi eum quæ pridem Theologis imposita est necessitas cogeret, diu immorari sustineret.

Sed Scripturæ ipsæ, inquiunt, multa habent, quæ sunt Physicæ contemplationis: atat, hoc illud est quod ego in causæ meæ

Digitized by Google

defensionem mox eram allaturus, ni illi in suæ præfidium obijcere occupassent: quæro enim an in illis ipsis Physicę capitibus, quæ Verbum Dei tetigit, sibi à Verbo Dei recedere fas esse putent: si negent, tum datis in singulos articulos testibus facilè conuincentur: quis enim est hodiéq; qui Cœlum instar metalli esse conflatum; tellurem basi, tanquam tibicine niti, sibi ruendum sumat, & sexcenta sunt alia huiusce notæ, quæ breuitatis causâ prætermitto: si aiunt; ergo, inquam, quòd Physica in Scripturis tractantur, id fit illustrationis causâ tantùm, cùm non quod maximè verum est, sed quod maximè verum esse plebi videtur, authores sacri edisserant.

Supereſt itaque examinandum alterum, ex quo se abundè conficere opinantur, Theologiam Physicæ subsidio indigere: quippe *esse dogmata in Theologia* (hoc enim vulgò docent) *quæ rerum Physicarum cognitionem supponant.*

Enimverò postquam animum per totam Disciplinam nostram circumegi, duo tantùm capita inuenio, quibus Physicæ vtili-

communitatem, illi ad primam originem reuocare non notum: cum eam aliquando fecerit Imperatoris, ad cuius exemplum se cæteri componant, præconceptum aduersus aliquam doctrinam siue studium siue fastidium: succrescentes hæreses, aduersus quas dum omnia sua dogmata, ceu aciem aduersus ingruentem hostem, Orthodoxi intendunt, nouam suo systemati structuram, nouas loquutiones addiderunt: Virorum magnorum authoritas, quorum libri paulatim ex præpostera hominum admiratione, legis authoritatem obtinent: Ecclesiastarum parum prudens oratio, qui siue vt sacra à contemptu vindicarent, siue vt Catechumenorum cupiditatem accenderent, siue quam aliam ob causam, quam diuinare nihil attinet, res sæpe simplicissimas cothurno tragico & dithyrambicis ampullis exornabant: centa sunt alia id genus, quæ nouæ circumstantiæ noua vsque & vsque dabunt.

Atque hinc sequitur, (eo enim tendebat oratio) Theologiam duplicem habere respectum; alterum ad primitiuam dogmatum naturam, siue vlla industria hu-

manæ admistione : alterum ad hoc sæculum, hanc gentem, hunc hominem qui nostra Disciplina vtitur : equidem priori illo modo spectata Theologia, quia est virtutum Dei, apud quem non est *transmutatio, aut conuersionis obumbratio*, viua & spirans effigies, supra omnem mutationis aleam est & per interminabilem sæculorum seriem eadem perseuerat : sed enim si consideretur vt est ab ingenio humano informata, ingenij humani, cui inhæret, sortem experitur, quod quia mutabile est & cereum flecti in opposita, nihil mirum est si ad illius similitudinem Theologia configuretur.

His ita in antecessum præmissis, dico Theologiam vt respectum habet ad homines, eam esse quæ Philosophia non ita commodè caritura videatur : neq; verò ratio difficilis est, aut nimis longè petita ; eùm enim omnes Theologorum ordines, quotquot sunt sparsi per orbem Christianum, in id summo consensu conspirarint vt Philosophica Theologicis substrarent, planè sine alis, quod dici solet, volare instituit, qui sine Philosophiæ subsidio

Theologorum tractatus se intellecturum confidit: nam vt vocabula technica hîc omittam, quæ propè innumerabilia è Philosophia in Theologiam noui Tractatores comportarunt; quæcunque præterea de Incarnatione, Trinitate, peccato Originali, libero arbitrio & cæteris huiusce modi vulgò disputantur, illa notionibus accidentis, substantiæ, modi, naturæ, suppositi adstruuntur, vt qui in ijs nunquam institutus fuerit, frustra operum ponat.

Quid verò Sophistarum griphos & nodos perplexabiles hîc commemorem, quos qui ex arte, & vt solent illi loqui, formaliter non soluerit, suis fabula fiet, Aduersarijs ludibrium: atque ea est ratio cur vobis subinde author esse soleam, vt Philosophiam Theologiæ, si non comitem & sociam, neque enim seipsa tanto honore dignatur, at quod proximum est, famulam adjungatis; & sic esto concluſa distinctionis nostræ pars altera.

Verùm enim ego, Auditores, hâc dissertatione majora molior: quæro enim an Theologia, non quo loco nunc est, variis variorum attrectata, vel etiam contaminata

nata manibus, sed ab omni hominum satagente curiositate & studio abstracta; Philosophiæ cognitionem requirat: vel, vt clariùs rem proponam, an iusta causa esset, cur receptis cœlo Apostolis, cùm res adhuc integra erat, qui illis temporibus viuebant Christiani Philosophiam in Theologiam inferrent: plerique ferè omnes aiunt, nos negamus; vtri meliùs ipsi iudicabitis, postquam in singulas partes itum fuerit.

Quidquid Philosophiæ nomine vulgò circunfertur, illud Matheseos, Physicæ, Ethicæ & Metaphysicæ ambitu continetur: quibus si quis Logicam annumeret, siue Instrumentalis, siue Principalis partis titulo, me non habebit magnopere repugnantem, qui istas λογομαχίας ipse non moueam, & ab alijs motas facilè asperner: quare si hoc semel probauero inter enumeratas partes nullam esse, cui aliquod sit in Theologia pretium, quo quidem sensu illa à nobis hîc spectatur, institutum abundè opinor confecero: de Mathematicis itaque primum dicamus.

Sanè si quis sit qui Mathematicas Disci-

plinas faciat plurimi, me eum esse lubens profiteor; qui sæpe dicere soleam vbi ab ijs discessum est, nihil in Philosophia vspiam inueniri, in quo tutò pes ponatur: cùm si quid claritatis alibi, vel in syllogismorum figuris; vel in quibusdam Physicorum demonstrationibus illucescit, illud, quantum quantum est, Mathematicorum hypothesibus acceptum referri debeat: nos itaque Mathesin (idem enim iterum dicam) facimus plurimi, ac hactenus tantùm, si se intra Philosophiæ pomœria contineat, nec in Disciplinam nostram irrumpere moliatur: nam quæ vt Philosophica mirabamur, si vltra sortem sapiant & rerum diuinarum fatagant, inepta, puerilia, stulta repente nobis fiunt: amplius dico, qui sit excellentissimus Mathematicus, eum excellentem Theologum esse non posse: causam quæritis? facilem dabo. Nempe Mathematicorum demonstrationes ad Imaginationis sphæram attinent: Theologicæ contrà rationes Imaginationis æstimatione adeò non stant cadúntve, vt ijs sua aliter nequeat constare veritas, quàm si intellectus ab Imaginatione abdu-

Digitized by Google

catur. Quare si quem Mathematicum qui in sua arte consenuerit, à puluere & radio excitemus, vt nostra pro Verbi Diuini diuinitate argumenta ponderet, ille Imaginationi immersus vt est, ab sublimia illa nunquam poterit assurgere; quin consuetudine pensitandi res inferioris ordinis, tanquam pondere degrauatus, deorsum subinde relabetur: miracula proponis? tum sibi ille probari postulabit, nullam esse tantæ potentiæ creaturam, quæ dissectas corporis partes recomponere & animam in eas postliminio inducere valeat: Prophetias vrges? sibi apodeicticè ostendi petet, Deum solum esse, cui rerum contingentium præscientia conueniat. Enimuero hoc ipsum est quod Vir impius, cætera Maximus (cuius nomini parcere, quàm sepultum infamare satius fuerit) satis apertè testatus est, quando morti proximus, cùm pro more sciscitaretur qui morienti assistebat Ecclesiastes, ecquid de fide Christiana sentiret? *hoc vnum*, inquit, *his duo esse quatuor*: quod qui eo rerum articulo profitetur, hoc clarè videtur dicere, nihil à se in negotio religionis recipi,

nisi quod cum Mathematicorum demonstrationibus de claritate certet.

Verùm quoniam de Matheſi nulla adeò magna lis est, & si quis contra obnitatur, facilè refelli potest, ad Physica veniamus.

Equidem si quid compendij ex Physicis ad artem nostram redeat, id, quantum quidem intelligo, in duabus maximè rebus consistit: Primò, quòd à rebus corporeis ad incorporeas, à natura ad authorem naturæ animus euehatur: *inuisibilia enim Dei, æterna videlicet eius tum potentia tum bonitas, à* tempore *creationis mundi, ex ijs quæ sunt condita intelliguntur.* Rom. 1. Secundo, vt quædam Theologiæ capita ex Physicorum principijs illustrentur.

Primum illud existimamus majori fastu quàm effectu dici: nam qui Deum existere ex huiusce Mundi contemplatione intelligit, nihil dum habet supra Philosophum, cùm quidquid ex Physica arcessitur, supra naturam non extet, Theologia autem (Christianam dico, de qua nobis instituta est disputatio) supernaturalia me-

Digitized by Google

ditetur, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt:* & vt cognitionem Dei quam suggessit naturæ diligens speculatio, partem Disciplinæ nostræ non minimam constituere concedamus, quæstio integra adhuc manebit, an sit tanti quod ad eam rem *cursus Physici* nobis conferunt: hoc enim liberè fateor, me vt credam Deum esse, nautæ qui vtrumque mare sæpius nauigarit auditione: aut hypomnematum, quæ de rebus à se inter peregrinandum obseruatis viri curiosi ediderunt lectione, multò magis commoueri, quàm omnibus acroasibus, quas vnquam Aristoteles, siue quis alius Magister suis discipulis dictauit: cùm non causarum ipsarum cognitio, quæ ad nos, si verum dicere amamus, non pertinet, sed experientiæ tantùm & effectuum scientia, Dei, quam in intimo pectore quisque gerit, notitiam corroboret.

Et vos quæso istos mihi videte, qui rerum causas tanta cum anxietate quæritant, & facilè intelligetis esse aliquid in natura, quod *vim ingenij humani obterit:* nam illi quidem sanè, qui id vnum pro-

fitentur se scire, magnam esse inter effectus & quas effectibus assignant causas proportionem; cæterum se ignorare, an illæ ipsæ causæ fuerint quas Deus adhibuit, cùm ei, præter illas, innumeræ aliæ non minùs commodæ aut efficaces suppeterent, illi, inquam, quid præter probabilitatem auditoribus proponant, nihil habent: neque verò Peripateticorum melior est, hîc quidem certè, causa: quandoquidem enim, si eos audias, forma omnium effectuum prima & radicalis causa est, omnium autem corporum formas, præterquam hominis se nescire vltro illi concèdunt, simul concedant necesse est omnium effectuum causas à se ignorari, ijs tantùm exceptis (quanquam de ijs etiam dubito) qui ab humana natura fluunt: videte autem quæso an Theologo ære sua tantum sit otij, vt in re tantilla, nisi eum quæ pridem Theologis imposita est necessitas cogeret, diu immorari sustineret.

Sed Scripturæ ipsæ, inquiunt, multa habent, quæ sunt Physicæ contemplationis: atat, hoc illud est quod ego in causæ meæ

Digitized by Google

defensionem mox eram allaturus, nî illi in suæ præsidium obijcere occupassent: quæro enim an in illis ipsis Physicę capitibus, quæ Verbum Dei tetigit, sibi à Verbo Dei recedere fas esse putent: si negent, tum datis in singulos articulos testibus facilè conuincentur: quis enim est hodiéq; qui Cœlum instar metalli esse conflatum; tellurem basi, tanquam tibicine niti, sibi ruendum sumat, & sexcenta sunt alia huiusce notæ, quæ breuitatis causâ prætermitto: si aiunt; ergo, inquam, quòd Physica in Scripturis tractantur, id fit illustrationis causâ tantùm, cùm non quod maximè verum est, sed quod maximè verum esse plebi videtur, authores sacri edisserant.

Superest itaque examinandum alterum, ex quo se abundè conficere opinantur, Theologiam Physicæ subsidio indigere: quippe *esse dogmata in Theologia* (hoc enim vulgò docent) *quæ rerum Physicarum cognitionem supponant.*

Enimverò postquam animum per totam Disciplinam nostram circumegi, duo tantùm capita inuenio, quibus Physicæ vtili-

Digitized by Google

tas probabiliter prætexatur; vnum est de modo quo peccatum originale propagatur ad posteros: alterum de natura libertatis; in priori quærunt, quomodo materiale corporeum animam spiritualem possit afficere; in posteriori disputant, vtrum liberum arbitrium cum corruptione possit consistere: quæ quia sunt φυσικῆς ὕλης, nos Physicam ad eorum problematum decisionem perquam necessariam esse non negamus: at nobis altiùs surgit quæstio, an ipsa illa problemata sint *Theologica*, neque enim statim *Theologicum* est quidquid in scholis Theologorum ventilatur: certè nobis non ita videtur, quibus pilo θεολογώτερος non est, qui omnes istas quæstionum minutias in numerato habeat: nec verò pilo minus Theologus, qui de his nihil vnquam audiuerit. Quis verò credat Spiritum S. cuius admirabilis est erga genus humanum prouidentia, nos eò adigere voluisse vt disceremus ea, quæ nisi Plato & Aristoteles, homines, ne quid grauiùs dicam, Gentiles extitissent, nemo fortè Christianus inuenisset: sanè quàm sua de modo propagationis peccati Ori-

Digitized by Google

ginali inuenta alijs placeant nescio, nec scire admodum laboro, sed profectò mentiar, si nostra nobis magnopere placere dicam, & nos tamen, quod præfiscini dixerim, eam viam nobis videmur inuenisse, quæ minoribus obstructa est difficultatibus: & eam tamen si quis minùs probet adeò non mirabor, vt ei illud Poëtæ paratus sim occinere, *non potes in nugas dicere plura meas, ipse ego quàm dixi.*

Neque verò nostra de libero Arbitrio absimilis est ratio: nam quæ Theologum de hominis corruptione scire interest, illa pauciſſimis, ijsque clariſſimis vocibus continentur: *an scilicet tanta sit hominis malitia, vt proprijs viribus nihil boni neque velle neque perficere possit:* à quibus si quis abeat Theologus, vt se in Philosophorum disceptationes de natura libertatis interponat, de vocibus ad satietatem rixabitur: nam cum intellectûs & Voluntatis suæ cuique operationes intimè notæ sint, & vno modo omnes Augustinus, Pelagius, Cælestius, Prosper, Cassianus, Hilarius, Faustus, Fulgentius, Molina &c. intelligant velintque, qui optet & hîc ha-

Digitized by Google

bere, in quo suum acumen exerceat, quam in rebus ipsis ob summam claritatem non potest, in vocibus disputationem fundet necesse est : huic autem malo, præter innatam ingenio humano disputandi libidinem, noua Scholasticorum glossemata occasionem fecerunt : pro eo enim quòd quis (exempli causâ) quotidiani sermonis ductum sequutus, simpliciter quæsijsset, *an homo necessariò velit quod re deliberatâ indicauit volendum*, isti adscitis inuolucris quærere maluerunt, *an voluntas necessariò sequatur dictamen vltimum intellectûs Practici* : ea verò cùm tyrones audiunt, eorum animum nouæ illico percutiunt quęstiones de differentia quæ inter intellectum Theoreticum & Practicum ; item, inter intellectum & Voluntatem intercedit, quę vt locum suum in Philosophia optimè tueantur, quod (vtpote in arte aliena) definire nostrum non est : ita per vmbraticas illas disputationum formulas augustissima Disciplinæ nostra mysteria vexari, deplorari satis nequit.

Verùm Philosophiæ Moralis maius in

Digitized by Google

Theologia, quàm de quibus hactenus vidimus, Physicæ & Mathematicæ momentum fortè fuerit : ita sapè multos & magnos authores video existimare : quàm bene ipsi viderint : nos, quod modò bona cum eorum pace liceat, non assentimur, qui multa huic Ethicę supra rem non aliam ob causam tribui obseruamus, quàm quòd Ethicæ Christianæ nondum sublimem satis & suo nomini respondentem ideam animo præceperint Christiani : nam vt eas virtutes nunc omittam, quas sibi suo iure religio Christiana vindicauit : at inter eas ipsas, quas Theologia & Philosophia communiter excolunt, tantum est & tam latè patens discrimen, vt si quam illæ sibi mutuò opem præstant, eam tenuem omnino & leuem esse oporteat. Quãquam sanè in editis ante quingentos annos ad ritum scholæ systematis Ethicæ, ne ipsa quidem præcepta virtutis, qualiacunque sunt proponuntur : sed de subjecto, objecto, causa efficiente, fine, definitionibus & diuisionibus virtutum multa problematicè agitantur, quę qui didicerit, nihilo melior ; qui contempserit, nihilo peior erit.

Digitized by Google

Hæc nos summatim, vt videtis, & ἐπὶ πάρεργον percurrimus, quòd in ijs ad propositam quæstionem parum situm putemus: cùm ij ipsi qui Philosophiam esse ex vsu Theologiæ maximè contendunt, ea suæ opinioni fundamenta præstruant, quæ etiamsi firmissima esse daremus, intra Dialecticæ & Metaphysicæ terminos consisterent; vt quod ab ijs de Philosophia vniuersim posita fuerit quæstio, in eo consuetudini potiùs quàm animi sententiæ morem gessisse videantur: *nobis* itaque redintegranda est pugna, & pro eo quòd hucusq; rudibus tantùm batuimus, seriò nunc instauranduṃ est prælium.

Atque hic primùm, antequam ad alia progrediatur oratio, non abs re fuerit memoriam vestram de eo renouare, quod statim initio à nobis constitutum est, Logicam & Metaphysicam Theologo vtiles videri: tantúmne? immo & necessarias, vsque eò vt qui ijs destitutus se ad Theologiam adjungat, non minùs ineptè faciat, ac si quis olim ἀγεωμέτρητος scholam ingressus fuisset Platonis.

Quam verò Logicam, quámne Meta-

physicam hîc à me commendari existimatis : Cartesianamne, quam Renati Cartesij cultores tantôpere celebrant ? an Canonicam illam potiùs, quam ex Senis Gargettij hortis collectam Petrus Gassendus nostro æuo tantâ diligentiâ excoluit ? Sanè vtramque, siquidem ad vtramque sua Theologi theoremata accommodassent ; neutram verò, quia neutri suam methodum Theologi conformarunt : Logicam & Metaphysicam Aristotelis maximè, quia vtramque Theologi maximè suam fecerunt : atque adeò dico pluris nobis esse Studiosum, qui sit optimus Peripateticus, quàm qui atomorum regnum totum lustrarit, aut omnes Cartesianas demonstrationes ad vnguem calleat.

Sed non si se in has angustias Theologi imprudentes induerunt, ideo nulla alia erat via, quâ illi initio suam Disciplinam expedirent : nam vt hoc primum dicam, scripsit Paulus quatuor Epistolas satis longas, quibus Timotheum & Titum non homines de plebe, sed *viros Dei*, hoc est, Theologos & Doctores in ijs omnibus erudiuit, quę de moribus & doctrina

summum Theologum scire pietas æquitásque iubent: in ijs Logicæ aut Metaphysicæ nè meminit quidem, nisi quòd λογομαχίας & stultas quæstiones insectatur, quæ si quis ad Logicam & Metaphysicam retulerit, magnis fecerit authoribus: & ille tamen, ne eam omissionem Apostoli memoriæ quis imputet, Scripturam eximio hoc ornat elogio, quòd sit Viro Dei πρὸς διδασκαλίαν & πρὸς ἔλεγχον vtilis: quàm verò hîc egregia sese dabat occasio elenchos Dialecticos & *Disciplinarum reginam* (ita enim vocant) Metaphysicam extollendi! non facit, & si faceret, malè id quis quasi in Logicæ & Metaphysicæ Aristotelis laudem dictum interpretetur, illis enim quibus Paulus scribebat temporibus multi erant Stoïci, plures Academici, plurimi Epicurei, Peripatetici pauciſſimi: obscurum enim Peripateticorum nomen tum demum orbi iterum innotuit, quando Arabes Aristotelis scripta ad Europæos transmiserunt.

Sed fortè quas Prophetæ & Apostoli regulas alijs non præscripserunt, ipsi in scribendo sequuti sunt: neque verò id

Digitized by Google

quoque : nam definitionibus tarissimè vtuntur, & si quando ijs vtantur, eas ex arte nunquam instruunt : definit fidem author Epistolę ad Ebręos capite vndecimo, sed profectò parum magistraliter : cùm nec genus, nec subjectum, nec causam efficientem fidei assignarit : in eorum porro Diuisionibus si quis vulgatos Dialecticorum canonas notet, næ eum oportet esse oculatum qui videat quod nusquam est : non quòd eos nunquam adhibeant, sed quòd id ab ijs liberè fiat, absq; vllo ad Logicam respectu : quomodo Authores bene multi dum naturæ & rationi obsecundant, hoc nec volentes assequuntur, vt Dialecticorum diligentiam, ipsi harum artium ignari imitentur. Metaphysicorum verò de substantia, accidente, natura, hypostasi, modis &c. statuta & ratas sententias ad se pertinere adeò non putarunt, vt sicubi eadem voces pro re nata vsurpent, plane aliâ notione accipiant, quàm quâ Iohannes Damascenus & infimi æui Scriptores acceperunt : cuius itaque prępostęritatis fuerit authorum scripta ad eam regulam exigere, quam ipsi non agnouerunt ?

Digitized by Google

Quæsierit autem hîc aliquis, quî fiat igitur vt tam multi extent, Viri præstantes & eximiè docti, qui Theologiam non aliter saluam fore autument quàm si ei Dialectica & Metaphysica famulentur. Ratio est in promptu, & iam à nobis superiùs indicata: nempe cùm illi audiant Theologos Dialecticorum & Metaphysicorum technicis vocibus libenter vti: deinde, si quid nodi difficilis incidit, ad eum soluendum Logicam vindicem aduocare: tum Metaphysicas naturę, hypostaseos, personę, existentię, modi &c. definitiones suis Institutionibus Theologicis subtexere; neque satis internoscant quæ primæua disciplinæ ratio flagitet, & quę peruersum nouitatis studium, ambitio, vel etiam Aduersariorum importunitas inuexerunt, in eam sententiam facilè adducuntur vt credant non posse Dialecticam & Metaphysicam à Theologia diuelli, quin huius ruina illico consequatur.

In quo, vt liberè dicam, eos ratio valdè fugit, nam ad voces technicas quod attinet, hoc liquet deierare, me quinque ab hinc annis (tot enim sunt ex quo hunc volu-

Digitized by Google

voluo lapidem) nihil vsque adeò obscurum & perplexum audiuisse, quod ego, & mecum alius quilibet, qui modò annitatur, non possit sermone vulgari & quotidiano declarare: quòd itaque scholæ glossematis & nos vtimur, in eo orationem nostram, quod omnino æquum est, vsui recepto mancipamus: quomodo eum Teutonicè loqui par est qui cum Germanis versetur, vtut alàis lingua Teutonica non admodum delectetur: quibus & illud accedit quòd Auditoribus nostris ad Scholasticorum scripta viam munimus, & simul breuitati consulimus, cùm quod longus verborum ambitus vix comprehendit, id terminus technologicus sæpe feliciter expediat: quanquam sanè quæsita illa breuitas, exortis de ipso vocum vsu diosissimis concertationibus, multo majoris sæpe constitit, quàm quidquid illud erat, quod per hæc compendia lucrifacere studebamus. Quòd si quis de ijs nobis non credat (etsi sanè non video cur experto non credatur) tum hoc vno argumento pugnabo, quòd omnia Scholasticorum glossemata Chrysostomus, Hie-

ronymus, Augustinus & alij ignorarunt, quibus nemo doctior velit esse & haberi.

Huic affine est quod secundo loco de Sophistarum technis obijciunt, quæ, si quidem ijs credas, solâ Logicâ duce & auspice profligantur: sed quæso, ô bone, quas cruces Sophistæ nobis figunt, vnde habent: ex Logicæ abusu scilicet: ergo, inquam, si cùm rerum nostrarum Logica primùm fategit, eam res suas sibi habere & in Philosophia sola regnare Theologi iussissent, tuæ objectioni locus amplius non esset: næ tu igitur nimium nugator es qui nobis Logicam eò commendes, quòd quem morbum ipsa intulit, alleuet, cùm malum omnino non inferre multo satius sit, quàm quod semel inuleris, postea alleuare: quomodo si quis *tabacum* plantam nimiùm notam eo nomine laudaret, quòd humores abstergat, cùm absque tabaco esset, nulli fortè humores in corpore exundassent.

Quòd non eò dicimus quasi Syllogismorum Figuras nobilissimum, & propè dicam diuinum inuentum aspernaremur: quin eas contrà cùm pluribus alijs rebus

vtilissimas esse vltro concedimus, tum hâc præcipuè quòd disputationibus Scholasticis modum finémque ponant: nam ni communis linea ducatur ad quam pugnetur, vt sunt hominum ingenia cedere plerunque nescia, tota res in clamores & strepitus incompositos abibit: eorum tantùm religionem, siue superstitionem non probamus, qui eam sibi & alijs conditionem ferunt iniquámque legem imponunt, vt si se Sophista intra paralogismi latebras abdiderit, eum ex hisce tenebris non aliter quàm per vmbraticas Dialecticorum formulas extrahere fas esse putent: nam aut concedendam esse vtramque propositionem: (eorum verba agnoscitis, Auditores) aut alterutram negandam: aut distinctione vtendum esse: aut, quod vltimum supereſt, ostendendum argumentum non esse in forma.

At ego quintum quoddam inueni, cuius authorem allegabo, quo nemo vnquam vixit celebrior, Alexandrum Magnum, vt qui nodus solui non potest, incidatur: facilè autem incidetur, si quod Aristoteles ipse suis suggessit, consilium sequamur; vt

cùm se Sophista effusâ, instar sepiæ, caligine abscondit, exclamemus, οὐ μανθάνω, οὐ συνίημι, non intelligo, loquere clariùs, illos retexe syllogismorum laqueos, categoricum istud argumentum in hypothericum resolue: at in te, inquies, Sophista insultabit: quid tum postea? an ideò minùs bonus, minùs Theologus, minùs accuratus Scripturarum interpres eris: nugę. Itaq; securum te esse iubeo & in sinu tuo gaudere: clamabit Sophista te non esse *valentem* Dialecticum, & tu ei verbi Diuini ignorantiam opprobrabis.

Quòd si porrò pergat te illudere, vt sunt Sophistæ proterui & impudentes, tum tu eum suis artibus conuenito, & Electram, Conuelatum, Mentientem, Metentem, Superpositum, Περαίνοντα, Cornutum, Crocodilum &c. quæ nota sunt apud Stoïcos fallaciarum nomina, ei & tu vicissim inter disputandum soluendas pone: & reponet scio se eas soluere non teneri, neque enim Stoïcis operam vnquam dedisse: ibi tu iam ab illo quære, quodnam tantum sit Organi Aristotelis priuilegium & cuius literarum Dictatoris

Digitized by Google

authoritate firmatum vt elenchos quidem Sophisticos Stoicorum, qui soli olim in Dialecticis regnabant, & ob summam in ea arte præstantiam proprio iure Dialectici appellabantur, ignorare impunè quivis possit, Aristoteleos nemo, nisi qui certum velit famæ facere dispendium.

Hæc sunt quibus omnem Sophistarum pervicaciam retusum iri speramus, nisi sanè omissis istis concertationibus, quod fortè tutius est, malis istis hominibus versus sequentes opponere.

Quote ambulando cunq; vertas gentiũ,
Vitare non est disputatorum genus
Procax, proternum, fastuosum, garrulum,
Quos pacis hostes vltima hæc ætas tulit:
Qui nocte lucem, nigra vertunt candidis,
Et quæstionum tristitate condiunt
Natas in vsum sobrij risus dapes.
Hos nec decorum est, nec tuum refellere.
Tali hoste victo quis triumphus te manet?
Luctante eodem pugna gliscit acrior.
Nec dignitatem fronte ferrea pudor
Expressus auget; claritatem nèc dabit
Exorta rixis veritas. In iurgijs
Vicisse nolle, quem queas, victoria est.

Digitized by Google

Sequitur tertia objectio, quę à nobis in vltima acie locata est, quòd in hac illi, vt olim Romani in Triarijs, præcipuum causæ suæ ponant præsidium: nam cùm duo priora, externa tantùm esse Theologiæ adminicula fateantur, hoc vltimum de natura accidentis, modi, suppositi, existentiæ, &c. illud demum esse contendunt, quod ad intimam dogmatum naturam pertineat: & antequam quidem ego quidquam respondeam, hoc vniuersim dico, nec hanc, nec similes, quæcunque sunt, decidi posse quæstiones, nî priùs Theologi inter se de communi quadam nota conueniant, quâ omnes, quę Theologicarum titulo & nomine proponuntur, signari quæstiones oporteat; alioqui enim si quod quilibet otiosè somniarit, id ei liceat, vt somnijs suis pretium faciat scilicet, Theologiæ imputare, nullus vnquam ineptiarum finis futurus erit; eo enim fiet, vt si suos ille admiratores habeat, vt audacibus istis admiratores nunquam desunt, intra triginta quadraginta ue annorum spatium, qui est vsucapioni apud Iurisconsultos conditus terminus, meteorismi illi

locum Disciplinæ nostræ honoratissimum occupent, & canonum vim habeant.

Sumamus, exempli causâ, celebratissimum illum Rabbi Ægyptium, qui primus inter Iudæos ineptire desijsse dicitur : ille aurei libelli & nunquam satis laudati de *fund. leg.* duo prima capita ita concluſit. *Expoſitio omnium articulorum in duobus iſtis capitibus, vocatur opus quadriga : mandarunt autem priſci ſapientes, iſtas res proponendas eſſe non niſi apud vnum tantùm, qui cognoſcat ac ſapiat ſuo intellectu ; deinde tradant illi principia capitũ ; atque eum pauxillum hac de re erudiant : ipſe autem cognoſcat proprio intellectu, atque intelligat finem ac profunditatem huius rei : iſta enim vſq; adeò abſtruſa ſunt, vt nullus intellectus capax ſit intelligere ea* &c. tmemate verò xvi. capitis quarti hæc habet : *Omnia iſta quæ diximus in hac materia, ſunt tanquam gutta è ſitula, atque ſunt res abſtruſæ : ſed non ſunt tam abditæ, vti eſt materia capitis primi & ſecundi. Expoſitio autem omnium iſtarum rerum, quæ capite tertio & quarto continentur, vocatur opus Bereſchit : & præce-*

perunt antiqui sapientes, ne istas conclusiones publicè exponerent, sed tantùm uni homini privatim has res indicarent & doceret, Hæc ille.

Quibus auditis quis quæso, qui modò quatuor hæc capita nunquam legerit, sponsionem quamuis non faciat, sapientissimum virum Lectoribus suis omnia Disciplinæ Iudaicæ arcana reseraſſe. Pro eo quid ille? pudet dicere: capite tertio & quarto quibus opus Beresehit enarrauit, omnia ad verbum transtulit, quæ de materia prima & forma: de quatuor elementorum natura, qualitatibus & transmutationibus: item de orbibus cœlestibus & eorum soliditate Peripatetici in scholis pueros vulgò docent: capite verò primo & secundo, quibus *opus Mercauæ* describitur, ea de Dei simplicitate & scientia, nec non de Angelorum ordinibus & attributis dissertauit, quæ nostri speculatores suo acumine ferè indigna esse putant, ita clara nunc videntur: in quo Mosis ὀψμαθίαν quiuis facilè deprehendat: quanquam enim esset ille in patrijs ritibus exercitatissimus, erat tamen in ijs quæ

ad Aristotelis sectam attinent ; ὀψιμαθὲς ! *est enim*, vt A. Gellij verbis dicam, *id vitium plerumque sera eruditionis, quam Græci ὀψιμαθίαν appellant, vt quod nunquam didiceris, diu ignoraueris, cùm id scire aliquando ceperis, magni facias quo in loco cunque & quacunque in re dicere :* nam illa quidem sanè, Moses, quæ tu tam magnificè prædicas, ad fundamenta legis non magis spectant, quam terra ad cœlum, aut Oriens ad Occidentem.

Enimverò vt ad institutum nostrum propiùs iam accedam, si multa quæ olim in scholis disputata sunt hodiéque disputantur, sint Theologici fori, planè impudenter faciat, qui neget Metaphysicæ ad ea decaranda opem requiri : pauca quædam, gustûs causâ, hic dabo : an Deus possit relationem producere sine fundamento & termino : an possit naturam vniuersalem producere & conseruare sine singularibus. An quælibet persona possit quamlibet naturam assumere, quomodo Verbum humanam assumpsit. An vnum suppositum creatum possit alteram naturam creatam assumere. An Deus assm-

pserit individuum humanum, an speciem. An numerus personarum in diuinis pertineat ad substantiam, an relationem. Et an ad primam intentionem an secundam. An in Deo sit intellectus agens & patiens: & si quæ sunt alia huius commatis quæ poteritis videre apud Des. Erasmum commentario ad caput primum prioris Epistolæ ad Timotheum. Sed nos profectò non ita sumus stolidè creduli, vt vbicunque Dei aut Christi audimus fieri mentionem, in eo Disciplinæ nostræ fata verti in animum inducamus: quin certum est, tantisper dum Theologi meliora doceant, nihil Theologiæ transcribere nisi quod Scriptura exertè tradiderit; vel Apostolica Traditio (nam hoc de Traditione etiam dabimus, ne quis de Traditione intempestiuè lites serat) ad nos transmiserit.

Iam autem inter ea quæ ex Verbo Dei deriuata esse certò constat, duo tantùm occurrunt, in quibus explicandis ad Metaphysicam recurritur, S. Trinitas & Verbi Incarnatio, vt si duo illa subtilitatibus Metaphysicis minimè indigeant, nihil præterea habeant Aduersarij quod oppo-

Digitized by Google

nant : quantum igitur illud sit & quàm latè pateat quod Theologi ex Metaphysica hac in parte mutuantur, examinare breuiter iuuat.

Et primùm quidem cùm suprà dictos articulos necessarios esse ad salutem communis statuat Theologorum opinio, multi autem Christiani seruentur, qui de supposito, existentia, modis &c. nihil vnquam audiuerunt, facile est ad colligendum, si quæ horum sit in doctrina de Trinitate & Verbi Incarnatione vtilitas, eam ad ipsam horum dogmatum medullam & essentiam non spectare. hoc primum.

Deinde, cùm qui ante exortum Arrium, Nestorium, Eutychetem &c. exiterunt, Viri doctissimi simul & sapientissimi, nihil eorum ignorarent quæ fundando vtriquè articulo idonea essent, quos tamen contemplationum Metaphysicarum parum peritos fuisse, librorum quos scripserunt lectio satis probat, & hoc secundò sequitur, per accidens factum fuisse, occasione scilicet Arriani & Nestoriani erroris, quòd istas distinctionum argutias Theologi suæ disciplinæ ceperunt transcribere.

Atque adeò (quod quasi vice corollarij è superioribus elicitur) si quis in ijs regionibus versetur, in quibus illa lues nunquam grassata est & ne grassetur nullum amplius est periculum, nihil admodum causæ esse, cur se in ijs inquirendis Theologus fatiget.

Quibus ita constitutis, quæstio, si quid video, tota huc redit vt quæratur, quanam sit Metaphysicæ vtilitas ad eas profligandas objectiones, quibus Hæretici doctrinam Ecclesiæ de tribus personis Diuinis & de Verbo Incarnato labefactare moliuntur.

Verùm cùm Hæretici suâ argumenta vel ex scripturis, vel ex ratione extorqueant, quæ sunt prioris generis facilè sine Metaphysicorum acumine, cùm Verbum Dei vi suâ nitatur & sibi ipsi munitissimum sit præsidium, refelli nemo opinor negabit.

Super sunt itaque ea argumenta quæ menti humanæ illa quæ in his mysterijs apparet repugnantia statim obijcit: ijs verò (vt ad propositam superiùs objectionem directè respondere incipiam) nego

Digitized by Google

constringi Theologum qui extra Theologiæ limites non procedat; cùm Theologo (iuxta ea quæ dissertatione de *natura Theologiæ*, à nobis jacta sunt fundamenta) id vnum suæ artis ratio præscribat vt reuelationem Diuinam interpretur: quare quodcunque tandem ponat Theologus, id debet Dei authoritate comprobare: quod nî faciat, explodetur, si faciat, frustra aduersus authoritatem Dei ratio oblatrabit: statim enim audiet: vtri vis potiùs credamus, tibi an Deo? vísne esse sapientior Deo?

Atque ea est tutissima omnium via, à qua si quis vel transuersum vnguem deflectit vt cum Sophistis in ratiocinando paria faciat, cum suæ dignitatis parum memor est, tum de Disciplinæ suæ majestate multum delibat: nos certè qui per totos quatuor annos Dialecticam & Metaphysicam publicè prælegimus, si quando Mos imperiosa res iubeat vt quæ ratio contexuit, ratione dissoluamus, toties rubore tori suffundimur, qui hoc tacito conscientiæ sensu intelligimus, nos supra hominum vulgus, extra voces technicas,

Digitized by Google

nihil sapere, patum autem liberale esse facinus voces, hoc est, fumum tanto cum apparatu è cathedra venditare.

Neque verò quenquam esse arbitrer paulò cordatiorem virum, quémque religionis Christianæ cura tangat, qui nos de ratione formali suppositalitatis, modi, hæcceitatis acriter, quasi de summa rerum ageretur, disputantes audiens, Theologiæ vicem non doleat, cuius res ita in arctum adductæ sint, vt iſi Suaretzij, Fonsecæ & Scriptorum huiusce ordinis opinio obtineat; prima, si quidem ijs credas, religionis Christianæ fundamenta subruantur.

Et Scholasticis tamen (si verum absque [illegible] amamus dicere) ea disputatio multò quam Veteribus cessit felicius: nam si quæ Athanasius, Gregorius Nyssenus, Cyrillus A. Maximus Martyr, siue quis alius Dialogorum de Sancta Trinitate author est, & alij bene multi ex Philosophia ad veritatem essentiæ cum personarum triade conciliandam adduxerunt, ad vnum resecentur, planè sequitur eos vnum esse Deum non alia ratione existi-

masse, quàm quomodò nos *Petrum, Paulum & Timotheum* vnum esse in specifica naturæ humanæ vnitate hominem existimamus, quod quid sit vobis iudicandum relinquo, animus enim dicere horret: at benè & priè à Christianis factum, quòd quam Viri Sanctissimi, quorum memoria est in Ecclesia Dei benedicta, consequentiam toto animo detestabantur, ijs non imputarint: quam animi æquitatem si vbique & aduersus omnes seruassent Theologi, haud paulò meliori loco Respublica Christiana nunc staret.

Dixeris, itane ergo longo iam vsu trita vocabula ὑποστατον, *hypostasis*, *persona*, & si quæ aliæ sunt eâdem notâ signatæ voces, è Theologia eliminanda putas: μὴ γένοιτο, quin parum verecundè nobis visus est Vir doctus facere, qui id edito nuper libello aggressus est demonstrare: nam si nihil aliud, at nos Antiquitatis reuerentia teneret ne voces solicitaremus, quæ sunt suâ, vt ita loquar, canitie & vetustate venerabiles. Hanc tantùm velim adhiberi cautionem, vt ne quis ijs hodie plus authoritatis tribuat, quam primi earum authores

olim tribuerunt; illa autem eò fine tota constituit, vt fidei orthodoxæ symbola essent, quibus, velut datâ in bello tesserâ ciues ab hostibus, ita Ecclesiæ filij ab Hæreticis distinguerentur.

Horam audio: vt itaque orationem verbo concludam, Philosophandum dico, etiam in Theologia, *sed*, vt ait ille, *paucis*: nam vt semitheologo cui ingenium contigerit inquietum nihil est in Ecclesia & in Republica pestilentius, sic in Theologia summo Philosopho, quem Dei gratia non coërceat, nihil ferè perniciosius. Quò nos earum Synodorum sapientiam magis miramur, quę quum de candidatis S. Ministerij experimentum capiunt, an ij sint qui Ecclesiæ Dei fidelem & vtilem operam nauare valeant, eam methodum sequuntur, vt ex Dialectica & Metaphysica ea breuiter prælibent, quæ sibi Theologia adoptauit; dein, Studiosos de ijs authoribus leuiter interrogent, qui τὰ καθολικὰ historię Ecclesiasticę tradiderunt, vt hoc compendiosè præmisso examine, tum integrum ex vtroque Testamento caput grammaticè cum temporum vel locorum,

vt

vt res ceciderit, notatione enarrandum proponant, quò quantum illud sit quod in legenda Scriptura officium illi fecerunt, ex eo specimine dignoscatur: nam nos profectò, quibus id negotij datum est vt ad puteum Iacob excubemus, ita pridem existimamus, hanc nobis vnicam superesse rationem, quâ ad lectionem Scripturarum tyrones extimulentur; nam quia hæc ætas laudis amore plurimum ducitur, ea videmus sibi Studiosos parare, quæ sibi solenni illâ die futura esse ornamento confidunt, cætera plerunque negligere, quorum non magnam à Patribus in studiorum examine haberi rationem audiunt.

Atque ita nemo Vestrûm non videt, Auditores, quod nos ostensuros recepimus, nihil jam Oedipo interprete opus esse vt quod initio proposui, ænigma dissoluatur, scilicet, *me cum ab iis iuxtà dissentiam & qui Philosophiæ vtilitatem ad Theologiam multum extenuant, & qui eam in immensum extollunt, cum vtrisq; tamen certo quodam respectu facere.*

DE RECTO VSV CLAVIVM ERGA ÆGROTANTES.

QVVM Minister Euangelij *vocatur ab infirmo*, tria ei facienda incumbunt, Primò, vt de ijs ægrum moneat, quæ præsens necessitas flagitat: deinde, vt precibus adiuuet apud Deum: denique, vt ei pro iure clauium, quod ipsi à Christo concessum est, remissionem peccatorum, si ita visum fuerit, denuntiet, quò spei plenus ex hac vita discedat.

Et duo quidem priora nihil magnopere difficultatis habere videntur: nam ad preces quod attinet, cùm *oratio iusti factacum fide sit efficax*, primum hoc à Deo vt, ex morbo æger conualescat petimus: tum, si Deus aliter statuisse videatur & conclamatum fuerit, pacem conscientiæ, fidei

Digitized by Google

vim inuictam, pœnitentiam & felicem exitum ei precamur: quo in officio non βαττολογία modò, sed & πολυλογία sedulò vitari debet: nam si D. Iesus, cùm Discipulos suos ad bene orandum informaret, breuitatem præter cætera in precibus commendauit, ei Christi præcepto ibi præsertim locum esse nemo non videt, vbi eum in precibus habemus ὑποφήτην, qui nec animo, nec corpore ad longas preces sufficiat.

Admonitionum porro summa est & pro diuerso hominum statu prope incredibilis diuersitas: nulla enim tanta inter duos homines ingenij & naturæ similitudo esse potest, vt quæ hortatio vni opportuna aduenit, alteri non minus appositè per omnia conueniat: quæ autem tantam admittunt diuersitatem, quia arte regi non possunt, artificis prudentiæ permittuntur. Vnū hoc fortè non abs re fuerit notare, nullâ aliâ viâ facilius doctrinam Christianam insinuari ægrorum animo, quàm si à præsenti rerum statu ad spiritualia gradus fiat, & ad congressionum familiarium normam sermones exigantur: nam si dum sermo

vt fieri consueuit, ex sermone exit, τὸ βεωτικὸν, quà licet & fas est, interponantur cœlestibus, erunt hæc sequiora meliorum vehiculum, quo salutaris oratio, quasi tacito influxu menti instillabitur; cùm ita ferè comparatum sit vt lex peccati quæ est in membris, multò acriùs sanctitati obluctetur cùm aduersâ fronte illa incurrit, quàm cùm per obliquos tramites se se transuersum ingerit: excipio si æger sit in præcipiti: tum enim cæteris omissis, spes Christianis proposita & pœnitentiæ necessitas sedulò & necessariò inculcanda est.

De diuinæ misericordiæ declaratione, quod tertio loco à nobis positum est, major incidit difficultas: nam, Veteres quidem, quorum vita nihil aliud erat quàm continua quædam mortis meditatio, si quando contingeret periculosè ægrotare, accersebantur presbyteri, qui inuocato Christi nomine, infirmos hortabantur vt depositum seruarent, & vitam æternam, quam fide & operibus sibi parare studuissent, fortiter apprehenderent: verùm cùm Christianorum mores in peius vsque &

Digitized by Google

vſque ruerent, quò minor de vita ad normam Euangelicam componenda cura fuit, eò major de ijs procurandis quę ſolatium & ſpem in morte facerent, anxietas & ſolicitudo fuit : neque id profectò mirum.

Cùm enim omnes iuxtà boni malíque ſalui eſſe cupiant, ſi quem ex ea ſpe vitæ anteacta excludit, ei vnicum perfugium mors ſupereſt, quæ quod in vita erratum fuerit, per *luctuoſam* pœnitentiam in melius emendet. Bene hactenus, & vt peccatoribus dignum erat, ſi intra hos fines res ſtetiſſet : verùm cùm creſceret in dies peccandi licentia ; nec deſiderium ſalutis, quod à natura hominibus inſitum eſt, idcireo decreſceret ; tandem eò res deuenit, vt quia ſibi homines facilè blandiuntur, præcipiti iſti pœnitentiæ, quę mortis metu ſæpiſſime extorquetur, eam vim tribuerent, quam ſi ex ſermone æſtimes, nihil in eo inuenias, quod reprehendi magnopere mereatur ; ſi ex praxi iudices, ibi facilè deprehendas aliquid quod ſit colore ſuperſtitionis infuſcatum. Ego certè Virorum Piorum querelis ſæpe interfui, quibus ita videretur, quique de ſeculi noſtri in-

felicitate eo nomine multum quererentur.

Enimvero huic sine superstitioni, siue errori occasionem fecisse videtur ordo Pœnitentium; illi enim veriti ne partem non haberent in futuro seculo, qui partem non haberent in Ecclesia, magnis fletibus hoc agebant, vt antequam discederent, absolutionem, & absolutionis sigillum Communionem impetrarent. Quod cum ijs per summam clementiam gratificata esset Ecclesia, multi deinde exiterunt, qui quanquam in ordine Pœnitentium non starent, haud meliori ideo loco apud Deum quàm Pœnitentes erant: Communionem itaque, quę instar *viatici* esset, & ipsi sibi concedi postularunt: Communioni dein cùm alij alia, vt metus ingeniosus esse solet, de suo adiunxissent, in immensum eandem creuit illa, quæ circa mortuales ritus occupatur πεφιεργία.

Hæc erant, quum surrexerunt Patres nostri, qui cùm doctrinam Christianam ad Euangelicam simplicitatem reuocare niterentur, & ista, & quæ his similia erant omnia abrogarunt: atque eò factum vt

spiritum δυνάμεως καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμοῦ multi in morte induerent: verum quia nihil est ita piè & sapienter institutum, quod peruersitas humana aliorsum non detorqueat, hæsit in aliorum animis, non iam ampliùs metus & trepidatio seruilis, (neque enim in eam partem peccant, qui doctrina Pauli, quæ & Patrum nostrorum doctrina est, abutuntur) sed vana quædam in ijs motibus, qui mortem proximè antecedunt atque inanis fiducia; cui si monitor conscientiæ obsecundet, periculosum errorem sua authoritate firmabit; sin contra fortiter obnitatur, durus esse videbitur & lenitatis Christianæ parum memor. Quamobrem iam noua & Veteribus inaudita nobis nunc hęc est imposita prouincia, vt *de recto vsu clauium erga egrotantes* tractatus conscribamus, quò mediam inter laxam indulgentiam & duram asperitatem sequi viam Studiosi maturè discant: & ego quidem interea dum plenum dissertationem adorno, meam ea de sententiam breuiter hic declarabo.

Et primò quidem hoc facilè conuenit inter omnes, id Theologo practico pri-

mum proponi, vt ægrotantis ad quem vocatus est, conscientiam penitissimè perscrutetur : nam qui statim aduenies de Dei misericordia & iustitia vindice, confarcinatis ad eam rem Scripturæ locis, quasi ad concionandum venisset, multa declamitet, non minùs inconsultò faciat ac Medicus, qui suum ægro nec viso nec audito prognosticon pronuntiet : præsertim cùm Medico præter ægrotantis vultum & pulsum arteriæ multa alia adsint signa, quæ prognosticon fundent : isti vnicum offeratur indicium sermo, quem si audire grauetur, vt sermocinetur solus, causę dicere nihil potest quin vel linguæ, intemperantissimus, vel totius illius partis, quę est deregenda conscientia, imperitus habeatur.

Magna igitur primo illo actu Ministro Euangelij vtendum est patientia, vtcunque ex ægrotantis ore, vel, si id minùs æger possit, ex eorum certè, qui ægrotanti officium faciunt relatu, sedulò scisciteturr, ecquam ille, cùm apud suos liberè loquitur, fidei & pœnitentiæ significationem exhibeat? neque priùs finem sciscitandi faciat, quàm certam de statu pœnitentis notitiam

(quantum quidem certa ab homine de alterius animo notitia haberi potest) animo informarit ; quod nos sanè difficillimum esse arbitramur.

Neque enim (quod sæpe dicere soleo) quenquam esse crediderim, nisi quem immanis quædam teneat vecordia, qui in exitu constitutus, quum passionum æstus resedit, & sibi ille audit æternum imminere exitium, nî resipiscat : resipiscenti vitam æternam destinari, recusat, siquidem ei optio fiat, re tantillâ, ita enim existimat, cruciatus æternos redimere, & breui pœnitudine immortalem acquirere felicitatem ; vnde porro fit vt quia homines ea sibi facilè persuadent, quæ enixè cupiunt ; in dijudicatione pœnitentiæ primùm ipsi fallantur, deinde & alios in eandem trahat communionem erroris ; quò magis attentos esse Ministros Euangelij par est, ne sibi falsâ illâ pœnitentiæ opinione imponatur : nam priuati homines cùm errant, sibi errant, præterea nemini ; Ministri Euangelij planè errare non possunt, quin magna pars damni ex eo errore in caput alienum recidat.

Digitized by Google

Iam autem non aliam (quantum quidem ego iudico) Seruus Dei poterit adhibere cautionem, quàm si orationi pœnitentis, ex anteactæ vitæ ratione, ætate, officio, temperamento, & alijs id genus circunstantijs pretium valoremque constituat: nam si qui nunc grauissimo oppressus morbo, ex alto ducit suspiria & vitæ præteritæ errores deflet, sese olim, postquam eadem Deo & ijs etiam majora spopondisset, in eosdem iniquitatis laqueos induit; id exstimulare Ecclesiastam debet, vt omnia circunspiciat, nec declarationem gratiæ Dei præcipitet: vel si quis alius temerariâ misericordiæ Diuinæ elatus fiduciâ, seruum Dei de fructibus edendis, qui sint digni pœnitentia liberè monentem negligenter audiat; ibi demum aures arrigat, quando sibi vitæ æternæ audit spem fieri, tum non abs re fuerit, omissâ aliquantisper iustificationis mentione, iram simul & misericordiam Dei commemorare, vt in Deo non Patrem tantùm, sed & iudicem intelligat.

Sexcenta sunt alia, quæ me edisserere singula rerum copia & diuersitas vetant:

Digitized by Google

in ijs autem hoc caput est, vt Ἐπιχαρμεῖον istud Pastor sedulò semperque meminerit, *neruos atque artus esse sapientiæ non temerè credere*: illud enim Euripidis de mortalibus vniuersim dictum,

——— Σώφρονος δὲ ἀπιστίας
Οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς.

ad Ministros Euangelij proprio quodam iure attinet, quibus haud alia res vtilior esse potest prudente diffidentiâ: nam qui se Christianos profiteantur magna est vbique hominum multitudo; qui verè id sint, quod dici volunt Christiani, paucissimi: quippe, vt de Libertinis nihil dicam, qui religionem Christianam palam aspernantur, at in eorum numero qui Christum sequuntur, innumerabiles videas, qui in ijs, quibus pietas continetur, vltra Iudaismum; in alijs, quæ ad mores spectant, vltra Gentilismum non procedunt: Qui tamen interroganti seruo Dei sanctè deierare parati sint, se esse ex animi sententia Christianos.

Verùm ijs, ne iuratis quidem, facilè credat, qui hoc apud animum suum semel statuerit, nullam tantam esse in Pythago-

reorum & Gymnoſophiſtarum inſtitutis, vel Eſſæorum & Monachorum religionibus auſteritatem vitæ; quanta eſt morum & pietatis in Ieſu Nazareni diſciplina ſeueritas: cùm neminem inter Diſcipulos, hoc eſt, inter Chriſtianos (qui enim dicti primùm Antiochiæ Chriſtiani, primitus μαθηται dicebantur) neminem, inquam, inter Chriſtianos Chriſtus allegat, niſi qui prius ſe & ſua omnia abnegarit; multò autem ſit faciliùs *in ſyluis habitare ſolum, Venerem abdicare & frondibus arboribuſq; veſci*, quàm ſibi renuntiare, & vitę omniumque cupiditatum pro Chriſto, ſi opus ſit, jacturam facere: & hæc eſt tamen Chriſtianitatis regula, cui ſi ſe non conforment Chriſtiani, baptiſmum primùm, deinde & fidem ſacramento Euchariſtiæ obſignatam eiurant.

Verùm ne paradoxa inſtituere videar, (eò enim res redijt, vt qui prima tradat religionis Chriſtianę elementa, paradoxa inſtituere videatur) idipſum ego ex notis & vulgò receptis principijs oſtenſum dabo: nam nos iuſtificari per fidem *viuam & actuoſam*, Theologorum conſtantiſſima eſt

opinio: fidem porro cum prauis vitiorum habitibus, vel, vt Theologicè dicam, cum *peccato regnante* non posse consistere: clara enim esse ad eam rem Pauli & Iohannis loca. 1. Corint. VI. 9. & 1. Cath. Ioh. II. 9. quæ cùm de actibus accipi nequeant, vt de habitibus accipiantur necesse est.

Vnde iam hoc sequitur, seruum Dei remissionem peccatorum nemini cuiquam debere annuntiare, quem scortatorem, mœchum, furem, auarum, ebriosum, conuiciatorem, rapacem &c. esse meritò suspicetur: tantumne? immo in quo oppositarum virtutum castitatis, sobrietatis, iustitiæ &c. in primis verò mansuetudinis, humilitatis, patientiæ & dilectionis, quę Cardinales sunt Christianorum virtutes, expressa non videritur vestigia: hoc enim est, quod ex altera Theologorum thesi non minùs euidenter sequitur, *Fideli quandiu est vinton in terris, perfectionem partium necessariò conuenire, alteram, quæ in gradibus sita est, comprehensoribus reseruari.*

Iam verò omnibus pijs cogitandum relinquo, quot in eorum numero qui quo-

tidie moriuntur esse putent, qui *vitio regnante* non modò non infestentur, sed qui liberati à peccato, *serviant iustitiæ*: vel, vt humano more loquar, qui iustitiam, fortitudinem, temperantiam, liberalitatem, modestiam, mansuetudinem, veracitatem, comitatem (hæc enim sunt Philosophicæ virtutes, & ijs ex religione Christiana multæ aliæ accesserunt) ad habitus robur & firmitatem non adduxerit? certè enim, si quidem ex operibus, quorum in iustificatione nostra proprium hoc officium est, vt sint fidei viuæ signum atque indicium, coniecturam facere liceat, tam pauci occurrent qui eousque profecerint, vt neque suam in de re vir prudens quisquam audit aperire sententiam, & si faciat, ei pauci admodum sint assensuri.

Sed quomodocunque sese res illa habeat; lapsis certè, inquies, superest pœnitentia, qua quod minùs rectum est, vel *horâ undecimâ*, hoc est, inclinatâ iam in mortem vitâ corrigas: audio, ac vicissim audi quid affirmem: scilicet ipsos actus pœnitentiæ dico cum per se esse rarissimos, tum Ministro Euangelij maximè,

difficiles dijudicatu : hoc enim quæso facito sedulò apud te perpendas, quantam actûs pœnitentiæ oporteat esse vehementiam, quæ animam inolitis & obfirmatis per viginti fortè annos vitiorum habitibus momento liberet, & contrarijs locupletet virtutibus : non quòd omnia Deo non sint possibilia, si-quidem sufficientem ad eam rem velit Spiritûs efficacitatem adhibere : at non quidquid Deus potest, id statim facit ; cùm in gratia, non minùs quàm in natura certas ipse leges præfixerit, à quibus nisi grauissimis inductus rationibus non discedit, & si quando discedat, hęc Dei operatio, non iam simpliciter Dei gratia, sed gratiæ τέρας, σημεῖον, miraculum appellatur.

Quodnam verò miraculum dici aut fingi magis queat, quàm cum hominem quibisce viginti annis Verbum Dei proteruè aspernatus est, sacramenta conculcauit, quique diuitias benignitatis tolerantiæque Dei contempsit, & aduersus afflictiones contumaciter calcitrauit, (quę conuersionis instrumenta sapientia Diuina, iuxta ordinarias leges, Spiritui Sancto interiùs

operanti & illuminanti præstruxit) eum, inquam, hominem, quum morti proximus est, ad vocem Serui Dei, in nouam creaturam repente, tanquam ictum fulmine transformari, & per Spiritum Sanctum, ceu ignem cœlitus delapsum, ad holocaustum gratum & acceptum Domino *consummari.*

Atque illud ipsum est quod Scriptura, vel suo silentio satis testatur: quippe quę cùm omnia misericordiæ diuinæ exempla diligentissimè describat, vnum tantùm in omni hominum memoria narrat, qui *ad portas mortis* cùm venisset, ad Dei gratiam confugerit: latronem intelligo, qui suffixus in crucem, Christi innocentiam, quod aliter non posset, linguâ defendit; sed quod exemplum nos multò magis debeat ad timorem suâ singularitate commouere, quàm gratiæ Diuinæ significatione securitatis ansam dare: nam neque eiusdem sceleris conscius latro resipuit, & in tanta hominum multitudine, qui Christo illuserunt, nullus fortè fuit, qui ad extrema redactus, tantum scelus veris lachrymis defleuerit.

Rari

Rari sunt itaque, vt dixi, actus illi pœnitentiæ; & vt frequentissimi essent, difficilè tamen dignosci & dijudicari possent; quòd quę mortis metus, animi ex morbo dejectio, hominum pudor, mos denique ab homine moriente exprimunt; tantam cum affectu spiritus, *qui pretatur pro Sanctis secundum Deum*, similitudinem habent, vt ea solus Deus internoscere & suis quæque ponderibus æstimare nouerit.

Homines quidem sanè in hoc suo iudicio sępè falli, vel hoc luculenter demonstrat, quòd in tanta hominum multitudine qui quotidie moriuntur, vix vnum sit obseruare, de quo non probabilis extet apud affines, cognatos & consanguineos opinio, eum in Christo esse mortuum; & hoc tamen mihi videor posse contendere, vnum vix aut alterum in populosissima quaque vrbe posse indicari, qui morbo leuatus pristinum vitę morem emendarit, & quod votum Deo vouerat, bonâ fide dissoluerit: quin contrà ferè videmus euenire, vt vetus homo eâdem quâ membra proportione reuiuiscat, & qui aleator erat de alea, qui potator de vino amet ex ipso lectulo, quem

lachrymis nuper madefecit, cum sodalibus garrire; qui si ante quindecim dies è viuis excessisset, magnâ pœnitentiæ & deuotionis famâ obijsset.

At longè profectò aliter Veteres existimabant; quàm enim de ijs qui in exitu constituti pœnitentiam agebant, parum fauorabiliter sentirent, hoc vice demonstrationis esse potest, quòd à communicatione & pace prohiberent, qui cœpissent *in infirmitate & periculo deprecari: quia rogare illos*, inquit Cyprianus, *non delicti pœnitentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitat esse moriturum*: ijs verò qui veniam, cum nullus ingruebat mortis metus, sæpenumero petijssent, pacem quidem & communionem concederent, securitatem non darent: *pœnitentiam do, securitatem non do.*

Et memini quidem cùm hęc, aut his gemina publicè dissertarem, mihi studiosum opponere Christi verba, qui *jugum suum* affirmet esse *suaue & onus leue*: Respondi tunc, quod & nunc respondeo, & Christi *jugum suaue esse onúsque leue*, & verissima

tamen esse quę de Dei seueritate superiùs posuimus: nam Gentiles iubet Paulus Dei seueritatem simul & benignitatem contemplari: & Iudęos Petrus ad *conuersandum cum timore* hâc maximè ratione hortatur, quòd *Patrem inuocemus eum qui iudicat citra respectum personarum*: est itaque Iesu Nazareni doctrina benignitate & seueritate mirabiliter temperata: & hoc quidem summæ benignitatis est quòd nullum sit tantum tamq; atrox crimen, quod si obluctanti & contranitenti ex infirmitate obrepat, vi expiationis Christi, accedente pœnitentiâ non tollatur: *nam in lege opera requiruntur, quæ qui fecerit, viuet in eis: in Euangelio voluntas quæritur, quæ etiamsi effectum non habuerit, tamen præmium non amittit*: hoc verò contra summæ seueritatis, quod si quis *post agnitam veritatem peccet ἑκουσίως*, hoc est, vt ego interpretor, pleno assensu voluntatis, adeò, vt vitia sua maláque, quod malorum vltimum est, amet, *nulla ei amplius pro peccato relinquatur hostia, sed horrenda quædam expectatio iudicij & ignis feruor, qui aduersarios deuoraturus est aduersarios.* Hebr. cap. x. 26. 27.

Quo minùs autem Dei ſeueritatem peccatores norint pro merito æſtimare, hoc in primis obſtat, quòd ſecuritati ſuæ alij cultum Iudaïcum, alij Paganicas virtutes obtendant: cultum Iudaïcum voco, ſi quis auditionem ſacrarum concionum, precum quotidianarum officium, & ſi quę ſunt alia id-genus, à pietate non diſtinguat: nam ſunt illa quidem ſanè pietatis adjumenta; pietatem ipſam nemo dixerit, niſi qui quid ſit Patrem adorare in *ſpiritu & veritate* nondum didicerit. Quare qui *ſibi has* hederas circundant, cùm ijs intus nihil ſit niſi vappa, etiam atque etiam monendi ſunt, vt in ijs operibus nimiùm ne confidant, quę ſi in pietatis locum ſubſtituantur, vel ſupra opera dilectionis æſtimentur, nihil ſunt niſi mera ſuperſtitio: hoc autem eò libentiùs ego moneo quòd multi paſſim occurrant, quibus exterior ille cultus non recto fine vſurpatus, horâ mortis fucum facit.

Virtutes Paganicas voco quę vel ex temperamenti habitu, vel ex vtilitatis reſpectu, vel denique, ex honeſtatis ciuilis conſideratione procedunt: nam cùm in homine

Christiano duo sint, naturalis ratio, & fides quæ rationi superinducta est, qui intra naturæ humanæ officia consistit bonus est ciuis, bonus paterfamiliâs, vir, si vis, probus & sapiens, nec dum tamen, si nihil aliud sit, Christi Discipulus: sola enim ea Christianorum opera veniunt in censum apud Deum, quæ fiunt propter Christum: reliqua quæ vel temperamenti ratio, vel vtilitatis respectus, aut etiam virtutis moralis amor exprimit, Christianis à Deo non magis imputantur, quàm Paganis sua κατορθώματα, Philosophis tantopere decantata: Quare si quem Seruus Dei longo vsu obseruarit (suus enim cuique pastori grex non minus, si quidem id fieri possit, notus esse debet, quam sui cuique patrifamiliâs liberi noti sunt) si quem, inquam, obseruarit supra Paganitatem non assurgere, cum ea de re ille debet placidè quidem & leniter, sed sedulò tamen & acerrimè admonere; cum nemo sit ingressurus in regnum cœlorum, cuius justitia Socratis & Catonis Iustitiam non superarit.

Hi sunt cautionum fontes generalissimi: cætera quæ praxi & experientia continen-

tur, nullis possunt præceptionibus comprehendi: nam quia (vt hoc vnum exempli causâ notem) omnes ferè hominum ordines, Agricolæ, Pragmatici, Aduocati, Mercatores, opifices &c. sua τεχνάσματα & fraudes habent, quibus assuetudo longa & consentiens in idem nefas hominum indulgentia vim legis fecit, vt ne viçorum quidem, aliàs non malorum conscientiam ea amplius inquietens, vigilantis Episcopi est earum omnium technarum si non accuratam, (quod planè fieri nequit) at leuem certè sibi notitiam parare, quò ægrotantis conscientiam de ijs interpellet, & quoquo modo procuret vt fraudata fraudatis restituantur: vel si res non sit amplius in integro, eleemosynis certè, quod vnum superest, & pœnitentiâ peccata abrumpantur.

Et de ijs quidem hactenus quæ Seruum Dei cautum prouidumque facere possunt, quò ne gratiæ Dei spem ægrotanti faciat, de cuius pœnitentia nondum liquet: illa porro ad vnicam hanc regulam facilè reuocantur, vt quam ipse omnibus ritè & in timore Dei examinatis & expensis de sa-

lute ægri persuasionem animo præcepit, eandem, nec auctam nec diminutam, alijs impertiatur: nullam habet? nullam det; firmam habet? firmam communicet: leuem habet? leuem impertiatur: hæc est enim tutissima omnium norma, quam omnib. sensus cōmunis dictat, ipse B. Augustinus in solandis infirmis felicissimè vsurpauit: nam Scriptura quidem sanè, quæ Ecclesiastis iuxtà & Laïcis omnia pietatis officia καθ' ἕκαστα præscribit; de ijs quę ad ἀδιαφόρων attinet, nihil (si vnum excipias locum Iacobi, qui de sanitate corporis recuparanda pręcipuè agit) singulariter mandauit; & nè Vitorum quidem piorum, quorum vita nobis proponitur in exemplum, extremas preces & *horas vltimas* persequitur; hoc monuisse contenta eos postquam tempus vitæ expleuissent, obijsse: nempe eodem modo illi moriebātur, quo vixerant, vt qui vitam intelligat, mortem ignorare non possit.

Cæterum eam à nobis à seruo Dei circunspectionem requiri, minimè mirabuntur, qui quanta sit à Christo τοῖς πρεσβυτέροις concessa authoritas, cum Dei timore

perpenderint: nam quia Apostoli, & qui Apostolis in ijs quæ sunt ordinariæ & perpetuæ λειτουργίας successerunt Episcopi presbyterique, pro Christo legatione funguntur, ut Christo non modò per ipsos hortante, sed quod aliquanto maius est, per ipsos peccata cōdonante; Qui sibi ab eo quem norit esse Dei legatum, peccatorum remissionem audit annuntiari, de reconciliatione Dei iam certus esse debet, (si sibi alioqui resipiscentiæ & fidei sit planè conscius) quàm si Dominum Iesum eadem sibi annuntiantem suis auribus audiuisset.

Hoc inter Christum & Christi legatos tantùm interest, quòd Christus quia τὰς παρούσας διαλογισμοὺς nouit, nunquam esse remissa peccata cuiquam denuntiet, quin res denuntiationem statim sequatur: Ministrum Euangelij sæpe contingat cùm claue vtitur, tum *in iure*, tum *in facto* errare: quod quoties accidit, accidit autem sæpe, toties clauis nullum est effectum: quibus & hoc addi potest, quòd Christo in remittendis peccatis iurisdictio propriè dicta conueniat: *nam solus ille*

inquit Hilarius Diaconus, *peccata remittit, qui solus pro peccatis mortuus est. Sacerdos autem*, verba sunt Ambrosij, *officium exhibent quidem, at nullius potestatis jura exerceat: sed ita operetur & iudicet* (vt P. Lombardi verbis vtar) *sicut olim legalis sacerdos in illis qui contaminati erant lepra, quæ peccatum signat.*

Verùm illa quæcunque sit & quantacunque differentia, non impedit quò minùs Minister Euangelij sit os Christi, & certitudinem de remissione peccatorum suâ denuntiatione ampliorem auctoremque faciat: in quo sanè Legatorum Dei suprà homines priuatos longè eminet authoritas: nam Episcopus quidem ritè ordinatus si alicui in Iesu Christi nomine peccatorum remissionem declaret, veracitati Dei ex ea declaratione noua accedit testificatio, quâ humana infirmitas subleuatur; cùm si idipsum vir priuatus declaret, & vel centies ingeminet, nulla eò fiat promissionibus diuinis testificationis accessio.

Atque ea videtur causa esse, cur cùm concessa à Christo legatis suis authoritas tota sit *declaratiua*, non *exhibitiua* rei,

aut *iudicialis*, non aliter tamen Christus loquatur apud Iohannem cap. xx. quam si veram Iurisdictionis potestatem in Apostolos conferret: neque enim D. Iesus dicit, prout rei natura postulare videbatur, *quorum declaraueritis remissa esse peccata sub conditione fidei & pœnitentiæ, illis ijs hâc conditione semel implatâ remittentur*; sed sine exceptione, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*: quanquam enim ibi nulla remissio peccatorum esse possit, vbi non est pœnitentia, & sæpe eueniat *clauem errare*, at exceptionem tamen & conditionem adhibere in *applicatione clauium*, parum illius dignitati videtur conuenire qui sit legatus Dei, quique in vitam, mores & pœnitentiam peccatoris sufficienter iam inquisiuisse supponitur.

Vnde iam concludo, (quod nobis breui hoc scripto præcipuè propositum erat) Ministrum Euangelij qui vocatus ab ægrotante, hominis conscientiæ vltra præscriptos à Christo terminos blandiatur, cum aduersus ægrum, tum aduersus Christum iniurioſum esse: nam & peccatori secus,

catis puluinar ſternit, in quo ſcorpij & baſiliſci latent: & Chriſti clauibus peſſimè abutitur.

Hæc eſt noſtra de recto vſu clauium erga *infirmos* ſententia: quæ in theoria nihil non habet expeditum, cùm principijs notiſſimis & clariſſimis innitatur: in praxi multa continet, quæ longa & arrecta meditatione opus habent.

Regi ſeculorum, immortali, inuiſibili, Deo ſoli ſapienti, ſit laus honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.

ERRATA GRAVIORA

Lector sic corrige.

Pag. 10. lin. 4. Deo, dele.
Pag. 22. l. 8. lege, commendatitijs.
Pag. 29. l. 25. leg. Patrium.
Pag. 26. l. antepen. l. Mansa.
Pag. 47. l. 23. illud, dele.
Pag. 145. l. 14. l. in iis.
Pag. 154. l. 5. l. [illegible]
Pag. 226. l. 8. l. querendo.
Pag. 226. l. 4. l. [illegible]
Pag. 228. l. vlt. l. Corybantum.
Pag. 262. l. 15. l. calamistris.
Pag. 285. l. 7. l. Tractationem.
Pag. 296. l. 2. l. dicam.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google